Numerus 2-3 - Anni 4
Februarius-Martius 1927

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

B. ALBERTI MAGNI DOCTRINA DE

UNIVERSALI B. VIRGINIS MEDIATIONE.

Ad festum Annuntiationis fortasse gratum veniet directoribus schema quod de B. V. gratiarum sequestra hic praebemus ex scriptis Doctoris Universalis. Sequemur omnino P. Bover (1), apud quem omnis textus adducti fontem et originem invenies.

I. *De mediatione in genere.*

1. Eminens Deiparae dignitas, mediationis radix et mensura.

a) *Maria est Domina suprema:* " Fulgor divinus splendet in ea in miraculis. Quidquid gratiae in luna significatur in Ecclesia, procumbit eius meritis. Quidquid lucis fulget in coelo in beatis, refertur in eam; eo quod mater est redemptoris aperientis ianuam regni coelestis ".

Applicans B. V. verba Ps. 44, 11 concludit, splendorem deitatis in eam supervenisse, ideoque eam esse Dominam. " B. V. fuit Domina omnium creaturarum, utpote mater creatoris, adiutrix redemptoris, regina creationis et regenerationis ". " Ipsa enim omnium, quorum Deus dominus est, domina est. " "... princeps est totius Ecclesiae ", " Ista est Imperatrix totius mundi... In ipsa est plenitudo potestatis coelestis perpetua ex auctoritate ordinaria... In ipsa est legitima dominandi potestas ad ligandum et solvendum per imperium ".

S. Pontifex non habet tantam potestatem ac B. V., " habet enim Dominus Papa potestatis plenitudinem in vita ista, sed non in coelo nec in purgatorio, nec in inferno: totam autem habet beatiss. V. potestatem in coelo et in purgatorio et in inferno "; etenim; in Deo et Maria " fuit... aequalis potentia in genere: ipsa enim eiusdem regni regina est, cuius ipse est rex ". Haec potestas consentanea apparet rationi: ob dignitatem Filii. " Filius... ma rem suam nascendo coronavit, cum... esse matrem Dei et reginam misericordiae mox nascendo concessit ":

b) *Regina misericordiae* est quia " vere et iure et proprie est domina omnium quae sunt in misericordia Dei. Item, si,.. " misericordiae „ construeretur transitive, vere et proprie diceretur r. m.: ipsa enim est causa totius misericordiae, et relevans omnem nostram miseriam. item, si construitur intransitive, sensus erit: Ipsa est... ipsa misericordia ". Et " nomen propriissimum " B. V. secundum suam dignitatem summam est praecise illud reginae misericordiae.

c) Quia et qua regina et domina, *superat eminenter omes spiritus coelestes*, qui tantum sunt servi. Maria " non est una de omnibus, sed est una super omnes ". Ideoque tota civitas Dei " matrem veniae, gratiae et gloriae beatam dicit ". " Quadruplex est ratio benedictionis... maledicti evacuatio,... fecunditatis ampliatio,... singularis gratiae collatio,... congratulantium collaudatio ".

2. Maria, nova Eva.

Sicut enim angelus malus suasit Evae gustum perditionis, ita e contra angelus bonus obtulit Virgini eulogium salutationis „. " In hoc nomine *Ave* fit nominis *Evae* conversio... Hoc est *Ave* sine triplici *vae* corruptionis, gravitatis et doloris quod incurrit Eva per peccatum... „.

Relatio Mariae ad Evam implicat et antithesin et parallelismum. De *antithesi* dicit beatus doctor: " Nomine... Evae vocari non debuit, cum in re et effectu contraria ei fuit per omnia. Illa enim damnavit, ista salvavit; unde et ipsa nomen Evae mutavit, non voce quidem sed re „. De *parallelismo* vero ita habet: " Vide nostram Evam matrem omnium viventium per gratiam omnino aliter esse affectam, quam Evam matrem viventium per culpam et miseriam „.

3. Mediatio Universalis.

Transeamus ad textus quibus apparet, B. Albertum non tam verbis ut sunt " mediatio „, " mediatrix „ quam rationibus B. Virgini attribuere interventionem, actionem directam et universalem in oeconomia gratiae. Patet, hanc actionem esse instrumentalem solummodo in manu Dei; intermediam inter causam principalem et effectum, Deum sc. et gratiam.

" Fuit (B. V.)... peccatorum reconciliatrix et mediatrix,... omnium peccatorum salvatrix et iustorum conservatrix „ " Nomen Maria beatiss. Virgini congruentissime adaptatur... ad statum designandum mediationis b. V., qua mediante genus humanum... exemplo, suffragio et merito revocatur „.

" Beata V. proprie dicitur *porta coeli*, quia per ipsam exivit quidquid gratiae unquam creatum vel increatum in hunc mundum venit vel venturum fuit; omnium enim bonorum mater est, et mater gratiae et ma-

(1) Cf. Gregorianum, a. VII, Roma 1926, pp. 511-548: La mediación universal de la S. Virgen en las obras del B. Alberto Magno.

ter misericordiae... Per ipsam intravit quidquid unquam boni de coelis in terram descendit. et e converso". "Invenisti... gratiam increatam, et in illa et cum illa omnem creatam... Invenit... quia humano generi perditam primo recuperavit. Ideo per ipsam omnes gratiam rehabuerunt, ut patet in privilegio Mater omnium, et in privilegio Porta coeli". "Beatitudo Sanctorum prima orgine a fonte sanctae Trinitatis procedens, influit in humanitatem Christi. A Christo vero b. Virgo Maria suscipiens beatitudinem, tamquam nobilis aquaeductus, deportat eam Angelis, Patriarchis.. ac deinceps omnibus aliis Sanctis".

Mediationem Virginis existere in duobus asserit: per ipsam venit gratia ad nos: "(B. Virgo) nos iustificavit, misericordiae mater exstitit,... *per quam* pax vera descendit de coelo"; et per ipsam accedimus ad Filium et Patrem: "Prae hominibus autem omnibus accepit gratiam, quae omnibus invenit reparationis viam. *Per ipsam* enim accessum habemus ad Filium, per Filium autem ad Patrem".

Hic textus plura dicit: mediatio B. V. ad Filium aequiparatur mediationi Filii ad Patrem: utraque est universalis, utraque necessaria in prae ente oeconomia salutis. Mediatio haec non tam eo consistit quod ipsa nobis Filium genuit, sed in eo quod per ipsam venire possumus ad Filium. Quia ipsa prae ceteris omnibus accepit plenitudinem gratiae, hanc gratiam ab ipsa et per ipsam omnes nos accipimus.

4. Plenitudo gratiae in B. Virgine superabundans.

Similiter ac Christus, licet modo secundario et subordinato, Maria mediatrix gratiarum est, quia gratia est plena. Non est mediatrix alicuius gratiae quae in ipsa non fuerit; sed omnis gr. in ipsa fuit et ab ipsa, ex ipsa in homines derivatur. Belle B. Albertus asserit: "Alii sancti acceperunt... gratiam creatam particulariter; ipsa autem creatam *universaliter*, et increatam singulariter". "Ipsa omnium bonitatum universaliter distributiva. Inde dicitur *stella maris*: quia omnibus praesentis vitae gratiis semper plenissima. Inde dicitur *Maria*: quia sicut in mari est congregatio omnium aquarum, ita in ipsa est aggregatio omnium gratiarum". "Annuntiatur beatae Virgini plenitudo gratiarum, quae est origo et medium omnis gratiae, et etiam causa in humanum genus transferendae, et secundum statum vitae et patriae... Unde cum ista plenitudo... contineat gratias spirituales et corporales,... dicitur... *gratia plena i'.* "Suam gratiae plenitudinem ad alios transmittit".

Saepe haec plenitudo supereffluens proponitur imaginibus fontis, torrentis, aquaeductus. "Ipsa est fons indeficientis aquae per plenitudinem gratiae ipsius, a qua peccator accipit absolutionem veniae, iustus autem puritatem gratiae, tentatus refrigerium temperamenti, devotus haustum dulcem sapientiae consolationis consolantis". "Virgo... plena gratia omnibus abundanter usque ad ebrietatatem re undit. Torrens inde erumpens impetu magno, pietatis eius fluxus est...". "Quae sicut canalis ad nos fluenta traducit gratiarum, quae ante per omne tempus defluxerunt".

Quae hucusque dicta sunt, beatus ipse admirabili modo resumit r spondens ad quaestionem "quid nobis ex plenitudine gratiarum Mariae venerit": "Fuit ista plenitudo secundum omnem plenitudinis rationem plenitudo perfectissima. Est enim plenitudo dativa et non receptiva, quae soli Deo convenit... Alia est receptiva, et haec est plenitudo *canalis*. Et sic beat. V. plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum [= omnium numerice gratiarum], quae omnes ad numerum transeunt per ipsius manum... Est autem 2. plenitudo *receptiva et retentiva* et non dativa: et hac est plenitudo vasis. Et secundum hanc plenitudinem plena fuit omnibus gratiis... Et est plenitudo *receptiva, dativa et retentiva:* et haec est plenitudo fontis qui est plenus, et tamen effluit. Hac plenitudine plena fuit etiam B. V., a qua continue effluit gratia, et tamen ipsa semper est plena gratia... Ex his igitur manifestum est qualiter beatiss. V. omni gratia, omni plenitudine, omni ratione plenitudinis, et omnibus modis, gratia plena fuit".

5. Patrocinium universale.

Interventio d. Matris pro hominibus in tot tantisque periculis et necessitudinibus constitutis saepissime formam patrocinii, defensionis, protectionis, succursus induit: quibus novus adspectus mediationis universalis se oculis nostris offert. "Aliorum protectio in ipsa in summo fuit: quia non ab hoste protegit *auxilio*, ab ira Filii *suffragio* et *exemplo*". "Omnibus ipsam quaerentibus in necessitatis subvenit articu o ,,. "... nunquam alicui defuit in necessitate". "Angeli... custodiunt singuli singulos homines; ipsa vero custodit universaliter singulos homines, et singulariter universos. Singuli enim servorum praesunt sibi commissis: Dominae autem et Domini est custodia et providentia universalis".

Quae providentia et custodia universalis iam sufficere videtur ad iustificandum titulum mediatricis universalis.

6. Interventio multiplex B. V. in mundo gratiae.

Difficultas mediationis gratiarum multis exsurgit non tam ex positione media inter Deum et hominem quam ex interventione directa et universali B. V. respectu gratiae.

Audiamus quid dicat B. Albertus.

a) Maria est dispensatrix gratiae. "Quicumque... indiget aliqua virtute, postulet instanter a beata V., et dabitur ei: ipsa nempe est thesauraria Iesu Christi".

b) Maria est dispensatrix optima ob generositatem et largitatem. "Hanc etiam (largitatem) cum excellentia habuit.. Dedit enim mundo Deum et Deo mundum, et cuilibet homini regnum caelorum". "Ipsa enim... nunquam non dedit cui esset dandum, et praeterea dedit omne dandum...", "Volucres coeli requierunt in ramis eius, hoc est animae sanctorum pennatae virtutibus in ramis beatae Virginis, quibus fructum porrigit, requiescunt".

c) Maria lux est et dux viatorum, ideo stella maris. "Beata V. coeli et terrae est Illuminatrix... Duplex est sol coeli, videlicet Dei Filius et Mater eius. Hi ergo soles per omnia respiciunt". "Ipsa est dux in undis tentationum fluctuantium, per hoc quod est *stella maris*. Ipsa est contemplantium illuminatrix. Ipsa est tribulatorum Domina et protectrix". „Beata M. stellae comparatur... Sicut per stellas nox illuminatur, ita etiam per beatam V. tota Ecclesia est illustrata... Multum diligenda est beata V. a quolibet Christiano, propter hoc, quod est inexstinguibile lumen eius. Nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram poenitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim quasi lucerna pedibus eius, et reducat eum in viam salutis aeternae". "*Stella maris*... omnes naufragos deducit ad portum maris salutis aeternae".

d) Maria viatoribus vires, medicamina praebet. "Beata V. est debilium reparatrix". "Quia languidi et infirmi sumus, currum nobis exhibet B. M., in quo deportemur. De quatuor autem rotis huius currus ipsa dicit: Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. Igitur pulchra dilectio et timor Domini et agnitio, i. e. fides, et sancta, i. e. firma spes sunt quatuor rotae in curru sive quadriga B. Mariae. Qui in hoc curru deportatus non fuerit, nunquam laete faciem Dei videbit". "B. V. est aegrotantium alleviatrix..., infirmis peccatoribus carissima est atque gratissima. Ipsa enim Dei Filium, qui est medicina omnium infirmitatum protulit mundo".

e) Maria alia officia erga nos exercet. "*Nubes*.. est b. V. M., quae pluviam divinae gloriae pluit toti mundo". "*Thronus gratiae* est b. V. M....". "Nullam verbo vel exemplo occidit, quae omnes vivificavit... Nulli nocuit aliquid, quae large misericordiae manu omnibus indigentibus porrexit".

f) Maria re vera multipliciter subvenit hominibus. "Stella ferrum attrahit; et beatis. V. per infinitam suam misericordiam peccatores duros ad modum

ferri ad coelum trahit. Item, (stella) nautas dirigit: et beatis. V. omnes naufragos ad portum salutis remittit. Item, sita est contra aquilonem: et Beatis. V. semper versa est ad peccatorem... Effectus stellae est triplex: ferrum attrahit, lucem tribuit, nautas dirigit. Sic beatis. V. attrahit peccatores, illuminat poenitentes, dirigit innocentes... Attrahit a culpa, illuminat in iustitia, dirigit ad gloriam ". " Ipsa... est spes veniae dolentium et expiantium peccata in mundo... Excelsi autem in gratia innocentes habent eam canalem gratiae, qua a peccato custoditi sunt... Praelati venerantur ut Dominam... Beati refundunt in eam, sicut in causam suae beatitudinis, gloriam ". " Homini... (grata), gratia *misericordiae*, qua miseris compatitur; gr. *benignitatis* qua miser ab ea benigne suscipitur; gr. *auxiliationis*, qua misero in necessitate subvenitur; gr. *consolationis*, qua miseri et desperati saepe per eam Filio reconciliantur ". " Ipsa enim et illuminat sanctos in gloria (ideo *illuminatrix*); et fluctuantibus in procellis tentationum, in dubiis est praevia (ideo *stella maris*); et omnium iustorum, quibus meretur gratiam, *Domina*; et poenitentium et gemen tium propitiationis indulgentia (ideo *amarum mare*) "

DE NOVO APOSTOLATU QUODAM CCUM. MULIERUM.

Saepenumero Ecclesia clamavit contra eam modam impudentem quae civitates offendit ruraque corrumpit. In multis templis sacramenta denegantur, in aliis omnibus mulieribus tali veste utentibus ut modestia pudorque christianus graviter offendantur, aditus prohibetur. Frustra doctrinae moralis scriptores adversus modas istas indignantur.

Quid tunc mirum si *episcopi* ipsi omnium fere terrarum uno ore consentiunt iterum iterumque vanas periculosasque modas mulierum condemnantes. Testimonia omnes novimus.

Episcopis animarum *Pastor Summus* praeit Iam **Benedictus XV.** aliquoties verba fecit contra mulieres dignitatis suae obliviosas, sequens exemplum **Pii IX.,** qui 8. VIII. 1868 per Breve laudaverat operam quam Maria de Gentelles in Gallia navabat contra excessus modae. Maxime vero huic malo mederi conatur **Pius PP. XI** qui sexcenties idem argumentum instantissime tractat (1).

Omnes non sine sensu magni dolores videmus verba S. Patris et Episcopatus non producere effectum illum quem omnes boni expectare possunt iure merito.

Si qui, tum absque dubio sodales omni qua possunt ardore et perseverantia conferre debent ut audiantur et executioni mandentur adhortationes Ordinariorum et Papae. En apostolatum Sodalium mulierum revera " modernum „ et summae oportunitatis, necessitatis! Res tanti momenti est ut proponamus directoribus ccum mulierum has in verum bellum emittendi contra has modas earumque fautores; *in novam cruciatam.*

Patet, oportere imprimis ut mulieres *sodales* **ubique semperque** aliis praeeant optimo exemplo non solum in se ipsis, sed etiam in filiabus omnia in his vitando et prohibendo quae modestiam et pudicitiam laedant aut quibus puellae ad leviorem modum se gerendi vestiendique assuefiant, qua in re hinc inde fortasse etiam optimae congreganistae ex inadvertentia peccant (1).

Tum autem aliis auctores sint decentiae in vestitu. Quibus rationibus innitantur?

Imprimis profanis auctoribus.

1) Ita *Hygienistae* confirmant istas modas mulieribus, cito atque omnino, ruinae futuras, infirmiorem etiam naturam reddituras atque ipsam pulchritudinem et valetudinem detrimento affecturas. Inter primas deformationis corporeae causas et corruptionis gentium morborumque hanc iidem collocant.

2) Omnes *Sociologi* aiunt plurimum modas ad incrementum conferre eius terribilis flagelli, diminutionis inquam *nativitatis*, quae gradatim regiones non paucas et vastat et ad mortem celeriter ducit.

3) Etsi multum hygiene progressa est, modae tamen una ex praecipuis causis sunt *infantium mortalitatis.*

4) *Artistae* etiam tristiia affecti queruntur, neque teneram neque delicatam neque boni gustus nec vero sensu communi praeditam esse hodiernam " toilette „, sed eam potius in foeda, in absona, in trivialia quaeque irruisse.

5) Quid mirum si pessimae hae modae etiam ab atheis vel indifferentibus, a *scholis et guberniis laicis* arceantur? Ita ante duos fere annos modestus vestitus praescribebatur puellis alicuius scholae publicae commercialis Pragae; non ante multum tempus puellis scholaribus in Hungaria; dictatoris Pangalos in Graecia notum est mandatum hac de re, ac illud regum reginarumque Angliae, Hispaniae, Hollandiae. Intelligunt etenim etiam acatholici his modis modernis maxima exsurgere populis detrimenta tum sociologica, tum hygienica, praesertim vero moralia idque imprimis ideo quia in puellis ita vestitis omnis pudor, pulcherrimum decus, vestimentum, innocentiae munimen comprimitur, suffocatur. Tunc vero actum est de progressu, imo de existentia populorum.

His vero multa graviora addere possunt argumenta congreganistae colloquentes cum feminis catholicis.

6) Et quidem ante omnia illis ostendant *peccatum grande scandali* quod his modis committunt quoque ipsis propriis filiis filiabusque magnum animae damnum afferunt (2). Monstrent corpus humanum veram *pulchritudi-*

(1) Testimoniorum copiam invenies in omnibus Nuntiis Ss. Cordis mense maio 1926, et in pagellis marianis fere omnibus; nota praesertim verba occasione canon. S. M. S. Barat a. 1925 prolata.

Minus forte nota sunt quae S. Pontifex die 26. XI. 1926 ad coetum matronarum Coloniae in Germania scripsit:

" Acerbe et magnopere dolendum est quod vestes quae imprimis ad tegendum corpus inserviant nostris temporibus quibus tot mulieres dignitatem suam obliviscuntur, satis saepe ad id usui sunt, ut verecundia proterve violetur et omnibus, praesertim iunioribus, occasio et incitamentum voluptatis sint. Quare nullam unquam occasionem praetermisimus hunc fontem mali iudicandi ac accusandi vi auctoritatis Nostrae Apostolicae mores contumeliosos illosque reprimendi. ... Exhortamur itaque vehementer coetum matronarum omni qua poterit vi laborandi, sicut iam fecit usque adhuc, ad profligandam hanc quaestionem tanti momenti... „

(1) Quid, quod vix ac ne vix quidem acciderit, ni fallor, si aliquae congreganistae ab his modis non desisterent etiam admonitae a directore? Si nihil inexpertum relictum est et sodalis mulier magis oboedit mundo et sensualitati quam Ecclesiae, dixerim ad idem omnino deveniendum esse medium quod adhibet ipsa Ecclesia tales foeminas arcendo a templo vel saltem a mensa sacra; ita debent, quaecunque demum sint, cum relinquere.

(2) De hoc argumento vide quae S. P. N. Ignatius die 29. VI. 1555 scripsit P. Alb. Ferraresi qui ferre non potuit modas mulierum Venetiarum (Monumenta Hist. S. I. Monumenta Ignatiana, ser. 1, Madrid 1909, vol. IX, p. 266).

nem et dignitatem capere ex unione intima cum anima immortali cuius per multos annos est socius inseparabilis in terra eritque per totam aeternitatem. Honor vero et pulchritudo adhuc multo maior corpori advenit ex eo quod est *tabernaculum gratiae*, imo, ipsius *Dei Trini*. Ideo ab Ecclesia tot precibus, benedictionibus, ablutionibus, unctionibus honoratur et sanctificatur per orationes, sacramenta et sacramentalia a baptismo usque ad sepulchrum.

Ut congreganistae sororibus suis maiore vi, pondere et auctoritate loquantur, director poterit eis etiam meditanda proponere *verba S. Pauli* (1 Tim. 2, 9 ss.) et *S. Petri* (1 Petr. 3, 3).

Et, ut patet, non omittant ante oculos feminarum adducere *imaginem Virginis purissimae, modestissimae*. In memoriam quoque eis revocent, omnes mulieres quasi sacerdotes sanctuarii domestici esse, sacerdotem vero indutum esse oportere veste sacerdotali.

His similibusque argumentis instructas directores congreganistas suas mittant ad bellum perenne gerendum contra pessimas modas et mundum muliebrem.

At vero, non contra modas tantummodo, verum etiam contra **saltationes** modernas quae fere maius damnum inferre videntur quam vestes solae (1). His diebus in magna urbe familiae " valde catholicae „ prolem 5-18 a. duxerunt ad saltationes tam viles et inverecundas, ut multos parentes taedium teneret ; quin tamen filios — plus quam 100 simul erant — revocassent! Argumentis ferme iisdem hic uti licet (2) ac contra modas.

Restat, ut dicamus, etiam sodales *viros* hoc bellum sanctum pro aris et focis gerere debere. Quamplurimum ab ipsis dependet hac in re, nam mulieres semper viris placere volunt et tandem id faciunt quod viri amant. Ideo apostolatus virorum nostrorum sodalium apostolatui feminarum omnino adiungatur oportet. Enixe ergo rogamus omnes directores ut sine intermissione et fortiter per suos sodales mala ista impugnent ; inter se, saltem Nostri et directores eiusdem urbis congrediantur ad communia stratagemata conficienda ; et etiam nobiscum communicare velint quid contra lenocinium actum sit quoque successu (3).

---

(2) Videntur hinc inde mulieres nuptae vincere saltationibus innuptas. Audi relationem nuper factam : " Filiae Mariae saltent ; nunquam vero audivimus eas cantare vel ludere. Ad theam sodalitatis matronarum programmate oblectamentorum saltationes, cantus et ludi continebantur ... „. Quae saltationes certe modestae, non modernae fuerint; sed hac relatione, quae nihil narrat de vita supernaturali vel de apostolatu, apparet nisus ad haec oblectamenta ; qua propter invigilandum erit.

(2) In ephemeride quadam nuper aliquis iudaeus scripsit : " Litterae et ars musica, saltationes imo tota vita socialis evaserunt artes nigrae, " nigritatio „, Europaei ultima evolutio versus abyssum. Cacophoniae Iazzband ad mortem comitantur choreas culturae Europae ... „ Haec omnia signa esse internae vanitatis et inanitatis hominum.

(3) Enixe rogamus editores ephemeridum pro sodalibus, ut instantissime lectores et lectrices evocent ad hanc cruciatam.

P. Iacobus Marquette S. I. et Paulina Iaricot, fueruntne sodales ?

CC. SACERDOTUM.

I.

Archidioecesis Friburgensis (Germania).

Ortum cis praeparabat associatio sacerdotum quam aliqui alumni seminarii maioris ad S. Petrum prope Friburgum a. 1862 condebant, aliquomodo sequentes ven. Bartholomaeum Holzhauser qui saec. 17. Germaniae dederat " Institutum clericorum saecularium in communi viventium „. Archiep. Hermannus de Vicari, vir piissimus, hoc proposito maxima consolatione affectus perlibenter statuta " huius congregationis adprobavit „ festo S. Ignatii de Loyola, " magni reformatoris cleri „, 31. VII. 1864.

Mox notissimus Albanus Stolz coetui accessit. Sed nondum vera c. mariana existebat. Primam omnino cm Friburgi condebat sacerdos in seminario minori (1866) pro alumnis. Anno subsequente deinde vera c. sacerdotum ab 11 presbyteris constituta est, die festo Praesentationis B. V. in templo, sub titulo Visitationis B. M. V ; secundum patronum elegerunt S. Alphonsum de Liguori. A. R. P. Beckx cm. Primae Primariae aggregavit.

Pro externis sociis dioeceseos iam ab initio 4 conventus nominabantur quos " districtos „ vocant, ubi sodales consultore duce semel per mensem congredieban tur. Qui numerus conventuum mox augebatur ; a. 1870 iam 15 erant. Quo anno ista prior unio et haec c. in unam veram cm. coadunatae sunt ; primus praefectus a. 1871 electus est A. Stolz.

Ab a. 1871 usque circiter ad a. 1883 c. pauca vitae signa dare potuit : ferbuit bellum contra Ecclesiam " Kulturkampf „ ; seminaria episcopalia clausa ; neopresbyteri anni 1874 in carcerem coniecti, illi annorum subsequentium in exsilium missi ; sacerdotes veterani nimium onerati, et non pauci in aliam vitam vocati, quos inter ipse praefectus A. Stolz, 16. X. 1883.

Hoc ipso anno vero res Ecclesiae Friburgensis in meliorem partem vergebant, ita, ut etiam c. sacerdotum mox magnum incrementum sumpserit. Etenim, a. 1885 c. academica instituta est cui fere omnes auditores theologiae nomen dant qui, sacerdotio ornati, ad cm. sac. transeunt. Inde factum est, ut a. 1890 iam 27 cum 404, a. 1907 vero 48 conventus cum 1135 sodalibus exstiterint. Hodie per totam archidioecesin c. in conventus (" districtus „) partita inter circiter 1300 presbyteros 1200 sodales computat.

In singulis conventibus semel in mense se congregant, ut plurimum prima mensis hebdomada, ad consueta cis exercitia. Ubi fieri potest, sacerdos regularis vocatur ad copiam confessionis praebendam. Saepe c. una cum Unione Apostolica procedit, ita v. g. simul cum ipsa recollectionem spiritualem circiter quater in anno instituit.

Ut studiis quoque sacerdotalibus consuletur, c. singulis conventibus praescribit consessum scientificum, etiam semel in mense habendum. Fere ubique haec conferentia habetur quindecim dies post congregationem religiosam ; ita ut sodales bis in mense conveniant.

Ad iubilaeum dogmatisationis Immaculatae Conceptionis multo cum fructu celebrandum c. convocavit socios suos Friburgum ad solemniorem coetum, ubi agebatur de magno momento cis marianae in cura animarum ; de cbus sacerdotum, virorum, iuvenum, virginum. Felix successus animum iniecit ad hos coetus ciendos altero quoque anno. Annis intermediis habetur cursus scientificus per hebdomadam semper actus. Primus agebatur a. 1906. Dicebatur v. g. de re biblica moderni temporis ; Iesu Christo ; instructione religiosa in scholis commercialibus, opificum ; aliaque. Sacerdotes auditores ad esse solent 200-300. Expensas maximam partem c. sacerdotum solvebat.

Hoc anno 1927 in memoriam ep. Ketteler cursus habebitur de rebus operariorum.

A. Stolz, munus praefecti assumens, ci iamiam dignum opus apostolicum proposuit: sollicitudinem de coetu aliquo catholicorum inter protestantes in Borussia, in "diaspora„, dispersorum. Unanimi applausu elegerunt Rostock, cui ecclesiae ab a. 1871 usque nunc in difficillimis etiam temporibus semper auxilia ferebant. Hoc anno finem facient quia omnes sacerdotes dioeceseos alio modo necessitatibus "diasporae„ occurrent.

Sed maximum opus apostolatus c. sacerdotum praestabat eo quod sociis suis animum, fervorem, scientiam iniecit ad condendas et iugiter dirigendas alias cc. per totam dioecesin. Numerabantur 1918 in ista archidioecesi cc. virorum et iuvenum 70 cum 4000 sociis; virginum 350 cum 45.000 sodalibus; multae puerorum et puellarum.

Et illud ne omittamus: exemplum *huius* cis sacerdotalis perpulchrum aliis dioecesibus per terras idiomatis germanici auctor et motivum erat pariter huiuscemodi ccum sacerdotum instituendarum.

Quod vero maternum amorem et manifestam tutelam B. V. erga hos famulos suos sacerdotes planum facit, horum ipsorum sodalium iudicio est praeservatio fere omnium omnino sacerdotum archidioeceseos a veneno modernismi.

Leges quibus haec c. regitur, hae sunt:

1) Finis c.is est adiumentum sociorum ad perfectionem status et ad incrementum scientiae et operis pastoralis.

2) Sodalis fieri potest omnis sacerdos dioeceseos...

3) Praeses, commendante magistratu c.is, ab Archiep. designatur. Magistratus ad duos annos eligitur.

4) C. per totam dioecesin distributa est in districtus quibus praesunt consultor eiusque locum tenens qui eliguntur a sodalibus districtus et adprobantur a praeside et praefecto.

5) Ut finis asceticus obtineatur, unoquoque mense in quovis conventu exhortatio habeatur. Solemni modo celebratur festum titulare 2. VII). Qua occasione vota renovantur. Praeterea omnes sodales leges speciales observare debent. Quae sunt:

a) Ut diligenter se praeparent ad S. Missam eaque peracta debitam gratiarum actionem faciant.

b) Ut quotidie semihoram vel quadrantem impendant piae meditationi itemque per quartam horae partem lectionem spiritualem instituant.

c) Ut quotidie ss. Sacramentum visitent.

d) Ut quotidie examen conscientiae tum particulare tum generale instituant.

e) Ut quotidie rosarium aut saltem eius decadem recitent.

f) Ut frequentius — si fieri possit singulis hebdomadibus — peccata sua confiteantur.

g) Ut quotannis aut saltem altero quovis anno in pio secessu sacra exercitia peragant.

h) Ut orent pro invicem, inprimis ad altare Dei.

i) Cum aliquem aegrotare contigerit et praecipue in extremis, christiana fraternaque caritate sibi assistant sodales; curent, ut confratres aegroti, cum adhuc integra mens et ratio viget, ss. Sacramenta suscipiant, de rebus suis saecularibus disponant.

k) Quivis Congregationis sacerdos pro defunctorum sodalium animabus quater per annum sacram applicare, Praefectus autem pro quovis defuncto Sodali ss. Missam dicere tenetur. Quicumque autem dominicis festisque diebus bis sacrum offerre debet, ex caritate unicuique defuncto Sodali unum sacrum donare festinabit.

6) Ad obtinendum finem scientificum habetur semel in mense conferentia docta cum discussione, secundo quoque anno cursus per hebdomadam.

7) Saltem alterutro anno simul cum conventu universali omnium ccum etiam celebratur contio totius consilii c.is sacerdotum et universae eorum c.is. Antea omnes consultores relationem circa conditionem districtus sui mittere debent, auditis sodalibus... Tunc etiam de sumptibus redditur ratio.

8) Ad festum titulare sodales dant eleemosynam pro lubitu.

(Fusius de hac c.e egimus tum quia multis praestat et aetate et merito, tum quia specimen c.is sacerdotum est).

II.

Dioec. Seccoviensis (Austria).

Anno 1918 (quo haec dioec. iubilaea 700 an. suae originis celebravit) die 1. III. c. sacerd. in urbe Graz (Styria) ortum sumpsit. 36 presbyteri, iam sodales, fundamenta iecerunt. Cis patrona est Mater dolorosa, patronus secundarius S. Clemens M. Hofbauer, O. Ss. R. Moderatores semper PP. nostri; praeses et praefectus ex clero saeculari designantur, ut patet. Finito conventu in aede sacra, adiungitur statim consessus scientificus. Ad finem mensis iulii 1919 ci nomen dederant 134 sodales, 17 candidati; eodem mense a. 1926 numerabantur 266 sodales. Et initium etiam factum est cum conventibus regionalibus.

Etiam huius cis sodales magni momenti faciebant semper vitam marianam quam in suis paroeciis per ces colerent. Quapropter plures consultationes communes omnium urbis ccum, necnon coetus solemnes variaque opera pro necessitudinibus temporum commovebant, quarum novissimum (ab 1. I. 1927) est editio folii periodici cui titulus Nuntii parochiales quodque numeris 25.000 divulgatur. Prioribus iam annis plura acta sunt ad divulgandos bonos libros. Tempore quo in Germania valor pecuniae in dies cito diminuebatur, haec c. confratribus egentibus efficaciter in auxilium venit.

Moderator actualis, P. Lamprecht, haec iudicat: "C. mihi cumulate satisfacit. Ad conventus ordinarios 30-50 ex optimis sacerdotibus urbis et rure concurrunt, pietate et zelo aedificantes. Nullam nostrae provinciae domum novi, ad quam tot sacerdotes accedant (et accessus non est facillimus!) confessionis gratia, sicut ad hanc Graecensem: venit Celsissimus, veniunt canonici, professores theologiae aeque ac capellani ruri viventes, quod tribuimus prae ceteris ci sacerdotali. Clerus huius dioeceseos, si optimus totius Austriae dici potest, magnam partem hoc tribuendum est ci„.

Leges huius cis concordant cum illis cis Friburgensis; aliqua addita sunt: sodalibus enixe commendantur ephemerides cis; conventus omnium sodalium habeatur *quotannis*; unusquisque sodalis ad quemcumque districtum accessum habet; pro socio defuncto c. missam dici iubet.

III.

Dioec. Haarlem (Hollandia).

Legibus similibus utuntur CC. sacerdotum in Hollandia. Quaedam nihilominus notatu digna videntur quia magis ad particularia descendunt.

Ut opera charitatis inculcant omnia ea ad quae sacerdos vi muneris et officii tenetur: verbum Dei praedicare, sacramenta distribuere, specialem curam habere infirmorum et pauperum; porro alia quae hodie maximi momenti sunt, ut "patronatus„, exercitia spiritualia.

Praesidem rogant a S. I.

Ordo diurnus praescribitur: per mediam horam ante missam instituant meditationem, cuius ultimam partem adhibeant ad praeparationem ad sacrum; casu impediti a meditatione, a. m. saltem per quadrantem se dent meditationi; idem temporis spatium ad minimum insumatur in gratiarum actione. Matutinam et Laudes anticipent. S. Ignatii pro meditatione observent additiones.

Impediti a conventu Cis, inter octo dies praefecto rationem indicent.

Cauti sint in conversationibus suis, praesertim cum mulieribus. Item in legendis libris: non solum vitent malos, sed etiam minimi aut nullius valoris.

Accuratissime provideant rebus temporalibus tum propriis tum aliis.

Excellant charitate fraterna, non solum erga consodales, sed omnes socios in sacris constitutos.

Ita fere CC. Amsterdam, s' Gravenhaage, Haarlem, Rotterdam.

DUBIA QUAEDAM

I.

Antiqui alumni possuntne manere sodales in ce. collegii?

Ante 20 circiter annos in aliquo collegio FF. scol. piarum erectio cis. marianae pro alumnis petebatur ab Ordinario qui eam concessit hac clausula quod pueri tam diu tantum remanerent sodales quamdiu collegii alumni. Tum sodalitas Pr. Primariae aggregata est.

Nunc vero accidit ut multi ex-alumni conventibus cis. intersint. Unde quaeritur: 1° Eratne valida Episcopi clausula? 2° An ex-alumni frequentantes cm. lucrentur indulgentias aliaque privilegia?

Responsum: Ad 1m. dicendum est, clausulam fuisse validam, utpote non tangens essentiam cis. Episcopus gaudet iure adponendi huiuscemodi clausulam.

Ad 2m ergo facile ex dictis ducitur sequela: ex-alumnos non frui privilegiis et indulgentiis quia sodales non sunt.

II.

Ss. Aloysius et Stanislaus: erantne sodales?

Apud multos auctores legimus S. Aloysium ac S. Stanislaum sodales fuisse. In catalogo autem a P. Lamprecht confecto non numerantur. Quid sentiendum? Fueruntne **vere** sodales nec ne?

Responsum: Quoad utrumque Sanctum repetere oportet quod jam P. Bangha in A. O. (3, p. 44) dixit: nullum exstare documentum quo probetur, eos sodales fuisse.

Si revera nomen dedissent ci., sodales hanc gloriam non praeteriissent silentio. Utique difficile est intellectu S. Aloysium, B. Virgini tantopere deditum, noluisse nomen dare ci. d. Matris aut cm. ignorasse quae aliquot annos ante ipsum nata erat et ante a. 1585 iam existebat in urbibus quas incolebat vel invisebat S. Aloysius, ex. gr. Perugia, Padova, Verona, Bologna, Alessandria, Torino, Genova, Madrid, Mantova, Brescia etc. (Mullan, History of the Pr. Primaria, 1917, p. 70). (1)

Quoad S. Stanislaum res satis dissimiles erant. Inter convictores nobiles Viennae nonnisi a. 1573 sodalitas S. Barbarae (non B. Virginis) condita erat.

Sed tunc S. Stanislaus jam 4 a. mortuus erat. Dillingae vero, ubi per aliquot mentes ante iter romanum degebat, illo tempore c. nondum erecta erat. Ergo fere certo asseri poterit, S. Stanislaum non fuisse a vix esse potuisse sodalem.

1) Hoc unum certo scimus de S. Aloysio: a. 1589 sermonem fecit ad sodales in collegio Senensi (v. Cepari, Vita di San Luigi G. Nuova edizione. Roma 1926, p. 209). Hunc sermonem in lucem ederunt: 1) P. Alex. Pruvost, Discours inédit de S. Louis de G., Bruxelles 1862; 2) Gli scritti editi ed inediti dell'angelico giovane San Luigi G., ora per la prima volta tutti insieme pubblicati, Roma 1862, p. 29 ss. 3) Lettere e Scritti spirituali, Firenze 1926, p. 156.

III.

De transitu iuvenum ad cm. virorum.

In nostra urbe organisationes iuventutis suos socios diutius retinent: usque ad matrimonium initum. In his organitationibus invenies viros 25–30 a. natos; tam diu manere debent, usque dum eorum animi ab omni organisatione alienantur; deinde ci. virorum se non adiungunt. Quid tibi videtur?

Responsum: Etiam alibi organisationes catholicae hoc malo laborant. Ubi radix? Fortasse peccatur ex utraque parte: organisatio vel c. iuventutis *numerum quam* maximum membrorum ostentare vult ideoque semper in eo est ut quantum potest transitum ad coetum virorum impediat et procrastinet; coetus vero virorum hos socios iuniores, prae ceteris coelibes, vilipendat et eorum consilia animumque ad apostolatum solidum parvi vel nihili facit quo facile fit ut iuniores hos virorum coetus aetatis juvenum horreant.

Malo mederi potest et in multis cc.bus reapse medetur eo quod in coetibus juvenum aetas non multum protracta ut limes pro transitu ad viros determinetur et haec determinatio peragatur. Quod in ipsius organisationis iuvenum bonum vergit, cum distantia annorum aetatis juvenum non sit tanta.

Viri utique laeto animo et benigne socios iuniores cooptare debent iisque uti ad opera apostolica perficiendas illisque pro rata in magistratu cis. sedes attribuere ac alia officia concredere.

De cetero: iuvenes libenter transibunt ad viros quos fervore et activitate plenos conspiciunt; veternosis et somniculosis utique se non adjungunt.

Academiae ccum. apud Scholasticos.

Laetus nuntius venit ex Statibus Unitis et ex Anglia: in omnibus provinciis Statuum scholasticos suas habere academias sodalitatis; item in novo collegio maximo prov. Angliae, Heythrop, ubi festo Immaculatae Conceptionis aliqua statuta sibi dederunt, ut academia magnum fructum ferret.

Fieri nequit quin hae provinciae paucos post annos optimos sodalitatum directores habiturae sint, si opus coeptum dirigente aliquo patre in re experto cum perseverantia perducitur et in tertia probatione aliquibus conferentiis directoris periti absolvitur, ut iam in nonnullis aliis provinciis fit.

Proficiat!

ITALIAE SODALIBUS

quoque a domino benevolo duo praemia, unum 50, alterum 30 lib. ital. dedicantur pro elucubrationibus optimis quae usque ad *1. maium* a sodalibus alumnis ad P. Carolum *Miccinelli*, Roma 19, Via del Seminario 120, adprobantibus directoribus mittentur. Rogamus directores ut sodales suos certiores faciant eosque stimulent, ut 4–8 paginas sedulo componant tractantes " La maniera colla quale esercito l'apostolato ", sive: " San Luigi e il congregato mariano ".

SODALITATES MARIANAE IN PAROECIIS

Auctore P. I. Corral (prov. Argent.-Chil). (1)

Neminem latet, nihil post hominum memoriam constitutum fuisse tanta simplicitate ac simul tanta vi ac robore quam ecclesiam catholicam. Is primus in ea exsistit, qui christianae reipublicae clavum tenet, Summus Dei in terra Vicarius; huic finitimi Episcopi sunt, quibus dioeceseos cura incumbit; quod ut facilius assequi possint, frequentes parochi renuntiantur, ad quos attinet christianorum populum immediate moderari.

Est igitur ab ipsis Ecclesiae incunabulis paroecia fundamentum totius Ecclesiae structurae, nam parochus Christi fidelium animis consulit, munusque habet commissum de nostris sacris mysteriis certos illos facere, res divinas rite tractare, ac denique omnia quae ad vitam pertinent, ab incunabulis usque ad id temporis cum animam efflamus, diligenter temperare.

Recentibus vero his temporibus parochi labor his finibus nullo modo circunscribi debet; etenim opportunitati obtemperans se **omnia**, secundum apostoli prascripta, **omnibus** facere debet, ut omnes Christo lucrifaciat, omnium generum, vitam quae circa se evolvitur, strenue ac constanter penetrare curet, ut Christi praeceptis, accommodare queat.

Id autem minime obtinebit, si solitariam vitam et ab hominum societate disiunctam, sectetur.

Nonnullos igitur sibi socios de pago aut urbe repetat, qui suis operibus institutisque auxilio sint, consiliisque menti eius obsecundent.

Nunc vero, Marianae Sodalitatis id est propriissimum in Paroeciis, ut haec ferventium animorum manus efformetur, ut pro pietate, caritate, animorum salutis studio aura popularis, ut ita dicam, huiusmodi sodalibus constituatur.

Sodalitas Mariana, sapienter instituta et optime recta, id sanctissimis suis moribus rebusque gerendis efficit, ut ii eximii et virtute et doctrina instituantur, qui mirum in modum parochos adiuvent; efficiuntur enim Catholici fervidi et aptissimi ad praeclarum catholicitatis atque apostolatus exemplum edendum.

Quodsi iam de formatione sodalitatis in Parochia quaeratur, id in primis ex animo commendatum volo: quod Parocho compertum omnino sit, quibus dotibus pietatis, studiositatis, abnegationis, intellectus, auctoritatis denique, sui nonulli viri et iuvenes sint praediti. Eos singulos igitur primum invisere oportebit, eis suam mentem patefacere, et postquam primum hoc absolutum erit, omnes simul alloquatur; curet denique ut omnes sibi persuasum habeant, apostolatum inter cives suos a semetipsis exercendum, perditissimorumque hominum insidias omnino perfringendas.

Postquam de sodalitatis erectione cogitatum erit, his exceptis quae ad Societatem Iesu attinent, Episcopum adeant, facultatemque creandi sodalitatem efflagitent, quod postquam obtinuerint, ut indulgentiis, gratiisque omnibus participes fiant, ad primam-primariam adscribi curent.

Huiusmodi coniunctio efficit ut omnes sodalitates, quae orbis terrae regionibus definiuntur, unum idemque sint, ut omnes socii, Mariae veste cooperti, unum intendant, unum persequantur, stabilitatemque adquirant maiorem.

Congregatione constituta, hoc versetur Parocho ante oculos necesse est, quod omnes socii, hi praesertim qui sodalitati praesident, ad apostolatum incumbant, caveantque ne Parochus aut moderator solus, humeris totum pondus sustineat, sed tales sese gerant sodales, ut alter alteri auxilio sint, omnesque inter se arcto nexu coniungantur.

Totum se Parochus tradat suae congregationi, **nec eam tamquam novum onus** consideret, sed **tamquam manipulum adiutorum;** sodalium enim est parochi labores et amplificare et perficere. Ea enim congregatione adiutus nec consilio carebit, nec seiunctus, ac quasi sepositus a suis fidelibus manebit, sed totus cum eis communicatus, habebitque secum strenuos collaboratores, qui sive conspicui et nobiles sunt, suas vires in fluxumque multiplicabunt, sive de plebe sunt, experientiam, rerum usum et abnegationem adicient.

Summa eius ars in eo esse debet ut cum suam retineat atque exerceat auctoritatem omnem, ea tamen non sentiatur; omnia veluti in familia fiant, et suaviter et coniunctione intima omnia per Parochum et sodales gerantur.

Moderatoris prima cura esse debet ut omnes sodales, summa officii observantia, ardentissimaque erga Virginem devotione imbuantur et ad apostolatum exercendum se preparent.

Hunc in finem summopere conferet, si in suis ad omnes in genere adhortationibus, sed in iis praesertim quae ad praesides diriguntur, de statu materiali ac morali paroeciae certiores faciat, rerumque, quae aut geruntur aut gerendae videntur, cursum ante oculos ponat.

Cum vero iam sodalitas omni splendore vigeat, cum moderator experientiam iam obtinuerit sui muneris, hunc exercitum in duas partes abscindere oportebit, quarum altera viris, adolescentibus altera efformetur; neque dedeceret operarios in aliam tertiam coniungi; uberrimi enim fructus ex hac divisione percepti saepe sunt. Iuvenes generatim volunt soli esse.

Quodsi Parochus, viros ad Congregationem adducere nequeat *pueris* opus suum circumscribat; parentes enim (id quod ipsa temporum experientia confirmat) nullo pacto sacerdotis consiliis obsistunt, immo vero, his exercitiis puerorum, aequo animo assentiuntur, gaudio afficiuntur, cum filios congregationis insigniis ornatos prospiciunt, pietatisque rebus deditos. Magnus quidem hic stimulus incitamentumque erit, ut Parochus parentum voluntatem alliciat, fidemque sibi conciliet, atque in dies poenitentiae ac Communionis frequentia adaugebitur.

Facilius forsan at summa utilitate assequetur Parochus, *filiarum Mariae* constitutionem; hae autem maximo sunt emolumento caritatis operibus, cultus splendori atque his gerendis quae fortasse (1) numquam viri perfecissent.

Sed quae hae quas nuper dicebam institutiones secundarium habent locum; *viros* in primis arripere convenit, eisque adiuvantibus, maximum validissimumque munus pastorale, impense perficere.

Benedictione sua Deus, mentem nostram prosequi dignetur, ut huiusmodi associationes per universas nationes ac Parochias diffundantur, atque suis officiis, utilitatem afferant maximam christianae reipublicae.

---

(1) Vide etiam quae bene scripsit P. Baron in Les Cahiers Notre-Dame, 1927, p. 50 ss.

(1) Bene dicitur "fortasse", nam etiam viris splendor cultus divini multum est cordi. Scimus virorum cum quae tardum parochum impulit ad devotionem marialem, cultum Ss. Cordis, triduum eucaristicum similiaque in paroecia introducenda quaeque ad haec pietatis exercitia suis sumptibus viribusque ecclesiam ornat valde pulchre idque absque adiutorio coetum matronarum et virginum. Haec c. maxima gaudet auctoritate in parochia ut facile intelligitur.

SODALITATES MARIANAE ATQUE SOCIALE OPUS.

Verba **Cardinalis Henrici Reig,** Archiep. Toletani.

Plenum se nobis spei et felicitatis augurium praebet quod eodem ipso tempore, et reconstitutionis catholici operis in Hispania fundamenta atque stabilimina sunt promulgata, et centenarios festos utriusque iuvenum patroni egimus, Aloisii Gonzaga et Stanislai Kostka.

Dicemus id iterum et saepius. Cum nobis ante oculos obversatur catholicae iuventutis tam in Hispania quam in ceteris nationibus organizatio, quasi aurora nobis illucescere videtur et Ecclesiae et societati.

Sed ut huiusmodi adulescentes, ad gentes in spiritu regenerandas totam eam vim conferant quam et eae requirunt et nos desideramus, necesse est ut cum in id opus se conferant, iam roborati ipsi accedant magna copia genuini et solidi spiritus, firmis principiis claraque conscientia, unde oritur characteris seu indolis firmitas, integra demum spiritus interioris formatione quae prudentiae et activitatis fons est uberrimus.

Haec quidem omnia in illis Congregationibus obtinebunt, veris hominum formatricibus, quae S. Aloisii et S. Stanislai spiritu sunt imbutae.

Quae Congregationes non sunt vitreae capsulae neve aprici florum anguli ubi aliquandium a pulvere et hieme arceantur animi, qui ad plenos liberosque aeris haustus sunt destinati, sed sunt vera gymnasia in quibus ad vitam seu pugnam exercentur spiritus iuvenum, acquiriturque vis et robur, et simul facilitas quaedam moderata, qua nec illi frangantur dum quaerunt adaptationem, neque haec fiat impossibilis propter nimiam et rigidam spiritus duritiem.

Ita se gerere debent Sodalitatis Socii, ut *fermento sint coeterorum invenum farinae.* Fermentum vero ac farina aliquo vinculo inter se coniungantur necesse est, ut haec postrema fermentetur.

Centenariae hae sollemnitates, incitamentum haud infirmum erunt, (idque ut speramus ita ferventer efflagitamus) ad eiusmodi iuvenum legiones efformandas, qui gubernacula tenebunt futuris temporibus, magno religionis, patriae, culturae, iustitiae ac pacis emolumento.

DE SODALITATIBUS MARIANIS IN SEMINARIIS.

Talis dicitur futura Societas, qualis fuerit sacerdos; talis vero sacerdos, quale fuerit Seminarium.

Quam ob rem Seminarium " opus grande " ut Templum Salomonis appellari licet; " opus grande " inter omnia opera Ecclesiae; opus grande cui maximam quamque sollicitudinem Concilia et documenta Pontificia semper praebuerunt. Nihil igitur mirandum, si conditores et moderatores Seminariorum nihil neglexerint, quod ad pleniorem ministrorum Domini educationem sive necessarium sive utile esse videretur.

Nunc vero neminem, qui plerorumque Seminariorum instituta perspexerit, fugit quin sint in omnibus Sodalitates Marianae constitutae. Seminarii Santiagensis exemplum proferam. Quod cum a praeclaris Sacerdotibus singulari ingenio ac virtute simul praeditis conditum esset, semper imprimis Congregationes Marianas tamquam munitissimam viam esse existimavit, ut alumnos suos ad eum virtutis gradum perducerent, unde tot tantosque fructus apostolatus et sanctimoniae attulerit Ecclesiae nostrae.

Hic igitur, quid a Sodalitatibus Marianis in Seminariis sit repetendum celeriter perstringam. Et primum quidem quaerendum est: Num hae Sodalitates utilitatem aliquam habeant in Seminariis, quibus nulla alia meta proposita sit, nisi virtutis atque scientiae disciplina et in Iesum solum ac Mariam amoris perennis exhortatio.

Omnes qui oculis suis fructum viderunt affirmare in respondendo hic una mecum possent.

Primum enim Sodalitates mirifico modo cultum Marianum in Seminario fovent.

Maria Immaculata, Magistra Apostolorum, et nutrivit nascentem Ecclesiam et custos pastorum suorum semper fuit. Illae etiam qualitates atque virtutes Mariae non possunt non cogere sacerdotem canditatumque sacerdotii ut fervido amoris cultu eam Sanctissimam Dei Matrem prosequantur, cuius excellentissimum munus, non secus ac munus sacerdotis, sit *edere Christum,* cuiusque etiam eximiae virtutes, caritatis, integritatis, modestiae animi, patientiae tamquam exemplaria sunt virtutum sacerdotalium.

Mariam, Reginam Ecclesiae Militantis constitutam, miramur; Sacerdotem, eiusdem ducem et pastorem factum reveremur. Mariam Dominam Ecclesiae triumphantis esse confitemur; Sacerdotem, vinculum quo coeli et terra conectuntur esse confirmamus. Mariam refugium Peccatorem vocamus; Sacerdotem, Iudicem remissionis appellamus. Mariam, Consolatricem afflictorum acclamamus; Sacerdotem, Ministrum Religionis, caritatis, solatii, qui laborum abstergat lacrimas praedicamus.

Hinc est quod instituta, magistri, moderatores Seminarii, quacumque ope possint, alumnos suos hortari numquam desinunt, ut singulari pietate ac religione Mariam venerentur, omnemque spem ac fiduciam in ipsa collocandam curent.

Cum enim alumnus Seminarii ad Sacerdotium obeundum contendat, laborum eiusdem, periculorum, consolationum fit particeps; quapropter filius est, ut sacerdos prae aliis Matri Divinae carus; sacerdotis intersunt, sicut Ioannis Apostoli, postrema illa Iesuchristi morientis verba: " Ecce Mater tua ". Cum ipse denique ad condicionem eorum pervenire intendat qui omnia relinquerint, ut Apostolatum sese totum conferat; Mariam tamquam ducem faces praeferentem subsequatur, necesse est: " Vocam Mariam, respicem stellam ".

Iam vero quibus aliis rationibus ut lectissimus huius devotionis flos quotidie magis eniteat potius utendum est quam Sodalitatibus Marianis, quae ad omnem Matris Dei cultum, gloriam, imitationem spectent?

Quid enim aliud omnes earum exercitationes: sive quod ad imaginem Mariae venerandum sodales conveniant, ut amori ac pietati suae significandae indulgeant; sive quod frequentibus rectorum suorum adhortationibus audiendis incumbant; sive quod festus quosnam dies celebrent, eosque tanta pompa atque splendore illustrent, quid aliud, inquam, haec omnia perficiunt, nisi ut amor atque studium in Matrem et Reginam Seminarii magis magisque in Sodalibus augeatur?

Nec vero tantummodo Sodalitates Marianae, maxime in Seminariis id faciunt, ut cultus Mariae ac Religio efflorescat, sed etiam id quod maximum est, ut in omnia vita alumnorum haec virtus splendeat, summopere curat. Ex ea enim tamquam ex fonte caeterae illae virtutes, quibus Sodale distinguendi sunt: modestiae scilicet, castimoniae, caritatis in ceteros, ut institutis praescriptum est exsistere debent. Hoc igitur maneat, nullam esse munitiorem viam quam Sodalitates Marianas, cum ad pietatem in Mariam apud alumnos Seminariorum fovendam, tum ad exercitium virtutum sacerdotalium apud eosdem augendum.

At vero necesse est ut candidatus sacerdotii eo sit pietatis ac Religionis genere, quo ipse sacerdos: qui nisi verbis et factis et laboribus suis gloriae ac famae Nominis Iesu spargendae incumbat, nullo pacto est hac ministri Domini voce decorandus.

Huius tamen Apostoli perfectio atque institutio etsi ad Seminarium pertinet, tamen in ipso Apostolatu nondum exerceri alumnus potest; sed in animo ad tantam rem conformando et in virtute Apostolica comparanda debet exerceri. Cum vero habitus virtutis ex eius frequentatione sit impetrandus, non possunt alumni sive verbis sive factis apud suos fratres hoc apostolatus munere quodammodo non fungi.

Nunc vero, si ad Sodalitates delectus ex omnibus fiant eorum qui in virtutibus sacerdotalibus magis splendeant, id non facient hi sodales, quod est omnium sodalium, id est non apostolatum exercebunt?

Praeterea sodales caritatem fraternam colere iubentur, qua quidem virtute Apostolatus efficitur; eam tamen, si candidatus sacerdotii in Seminario, non exercuerint, postea in populum suum ut Sanctus Paulus non habebunt: " Testis est mihi Deus, ait ipse, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi ". Quin etiam sodales et verbo et exemplo ad virtutem et sanctimoniam mutuo impelluntur.

Aliam vero utilitatem ex Sodalitatibus in Seminariis alumni percipiunt, ob quam eae sint fovendae. Si enim in Seminario quae qualesque sint Sodalitates penitus intellexerint, fructus earum perpexerint, ad pietatem et amorem Matris Nostrae earum ope venerint; eo consilio ad laborem sese postea conficient, ut multos homines per Mariam ad Iesum deferant; quod ut consequantur, novas alias Sodalitates instituent, labantes fulcient, quibus uberrimi pietatis in vita christiana fructus ferantur.

Cum ipsi animorum curam susceperint, fervidum illum vehementemque amorem Matris Dei ex suis cordibus in alios derivabunt. Ipsam tunc ducem apostolatus sequentur; per ipsam homines ad Deum perducent; ab ipsa repetent eam animi virtutem, qua praelia Domini acriter praelientur; ipsa comitante, numquam in suis rebus animo frangentur. " *Voca Mariam* ", Reginam coeli, ducem Apostolorum.

(Quamquam iam bis in A. O. (I, pp. 45 et 102) sermo factus est de utilitate et opportunitate CC.um seminaristarum, tamen ad rem redeundum esse putavimus quia tanto cum amore et dexteritate hic tractata est a viro in re peritissimo, sc. a sacerdote *Ioanne Subercaseaux*, rectore Semin. Santiagensis. V. Efemér. Marianas, 1926, p. 322 sq.).

EX ALIQUIBUS CC^BUS VIRORUM ET JUVENUM.

Bonn (Germ. inf.). Initio a. 1926 numerabantur 693, in fine 723 **viri** sodales. In quinque paroeciis apostolatum exercebant. Sectiones habent: pro cantu; musica; salvanda iuventute; charitate, quae dona sua distribuit pauperibus (imprimis sodalibus), sodalibus ad exercitia spiritualia pergentibus, filiis propriorum sodalium theologicis studiis operam navantibus, missioni iaponicae, secretariatui et centro ccum. Germaniae. Nova sectio a. elapso condita est ad spargenda quae circa cm. imprimuntur. Et numerum sociorun eo quoque augere conantur quod viros imprimis verbo et scriptis adducunt ad " apostolatum virorum ", ad communionem menstruam, et tum tandem ad cm. marianam.

Conveniunt unaquaque hebdomada; ad s. mensam simul accedunt quarta quaque mensis die Dominica. Instituerunt maiorem peregrinationem et excursionem.

Contra mala spectacula film ipsa c. imagines currentes ostendit bono cum successu omnigeno, multum adversantibus, ut facile intelligitur, hominibus aliis tales imagines ostendentibus. Circiter 40.000 homines ad hos ludos aliosque publicos conventus c. convocabat a. 1926.

Et auctor fuit 2 ccum. condendarum; cum aliis ccbus. consortium laboris iniit, alios invisebat.

Annus revera bonus, a. d. Matre benedictus!

Tournhout (Belg.). **1) C. virorum** fere tot socios numerat ac Bonnensis, sc. 718. Conveniunt 5-600 ad consessum hebdomadarium, i. e. saltem 70%. A. 1926 ad viarum angulos 28 statuas B. M. Virginis erigebant. Circulum duplicem studii religionis constituerunt qui constat ex viris inter operarios catholicos maxime notos; bis in mente se congregant " ut profundiorem intelligentiam vitae christianae hauriant " eiusque fundamenta iaciant solida. Alia sectio 320 subscriptores adduxit foliis catholicis. Mense ianuario debitos honores obtulerunt sodales socio qui per 70 annos B. Virginis servus fidelis in ce. erat.

2) C. iuvenum a. elapso augmentum plus 100 sociorum habuit; 420 sodales nunc sunt; conventibus diebus Dom. h. 5 p. m. semper plus quam 400 intersunt.

Sicuti c. virorum etiam c. iuvenum in collegio Ranchi sustentat seminaristam; a. 1925 collegerunt 3487, a. elapso 2880 fr. Octo sodales facti sunt sacerdotes dioeceseos, 34 vero religiosi; 1926 ordinati sunt 3 in Ord. Praed., 3 in Ord. Praem., 1 in O. F. M., 1 in S. I.

Zürich (Helvetia). **Consultatio generalis,** de qua in A. O. iam egimus (2, p. 7; 3, p. 23) quater habita, haec statuit: 1° de prelo agens: in omnibus parochiis sectiones condantur pro prelo (quod ad partem iam fiebat); normae imprimantur pro apostolatu preli. 2° Conferentiae religiosae pro consultoribus instituantur. 3° in admissione principium selectionis servetur; instituantur cc. puerorum; exercitia spiritualia frequentanda, semper et ubique commendanda, ex. gr. sectionem exercitiorum inducendo. Agebant etiam de maximo momento cis. pro iuventute. Ponte iungere organisationes iuvenum et adultorum consultoribus nondum feliciter successit (neque alibi!). Proposuerunt etiam exercitia propria pro consultoribus et congressum solemnem pro omnibus sodalibus. Optimo successu pro omnibus officialibus ccum habiti sunt 4 sermones mente novembri; agebatur de Reginae Apostolorum oratione, verbo, exemplo, passione.

Consultationes has generales instituunt 4 cc. virorum, 8 cc. juvenum, 9 cc. virginum; semper 55-60 socios ad quattuor hos conventus communes miserunt.

Trier (Germania). Die dom. 12 XII. 1926 festa iubilaea 350 an. celebrabant cc. **virorum et iuvenum:** die 16. IV. 1576, dom. in Palmis, prima c. Trevirensis pro alumnis nostris condita est. Die 7. IX. 1608 cives 22 qui linguam latinam non callebant, " sodalitatem civicam " fundabant; 1617 c. iuvenum erigebatur. Illi multi ex primis viris et officialibus urbis nomen dabant. Iam a. 1609 numerabantur socii 190; a. 1715 erant 400, a. 1765 plusquam media pars omnium civium, sc. 555. Quod mirandum non est, nam urbs Trevirensis iam a saec. 4. vel 5. cultui B. V. se dicabat, et c. optimo spiritu vigebat nec non bene ordinata erat. Candidati instruebantar a 2 magistris novitiorum; fervor sodalium vividus servabatur ope magistrorum vel " visitatorum quartiriorum " qui districtui praeerant, coniunctionem inter praesidem et sodales colebant, imfirmis et pauperibus sodalibus consulebant. 1664 octo districtus numerabantur, labor postea tantopere auctus est ut unicuique districtui duo magistri praeficerentur.

Electio et institutio praefecti cotannis ad festum titulare (8. IX.) magno apparatu celebrabatur: hinc inde tympanorum et tubarum sonitu, vel declamationibus, imo academiis et ludibus scenicis sodalium alumnorum collegii.

Multa usque in hanc diem exstant documenta fervoris et zeli magnanimi sodalitatis civium; inter multa alia notatu digna est ara votiva B. M. V., erecta ab hac ce. ad canonizationem S. Aloysii a. 1726.

Ita non miramur audientes verba plena laudis quas

ad iubilaeum fecit antistes ecclesiae Trevirensis, Doctor Franc. Bornewasser. Multum insistebat assertioni, cc. marianas hodiernis temporibus non diminutum, sed e contrario auctum momentum habere maximaeque esse utilitatis et necessitatis. Ideo sodalibus competere officium duplex: ope cis. sese sanctificandi ita ut dicere queant cum apostolo: vivo iam non ego, sed vivit in me Christus; et tum sancto fervore et ardore omnia et omnes penetrare. Ubi demum Deus sodalem posuerit in vita publica, sociali, politica: sodalis semper est et manet verus filius Mariae, christianus ad imitandum propositus, apostolus.

Philadelphia, Pa. Sodalitas **dominorum** alternantibus hebdomadibus conferentias de re politica, sociali, religiosa, artistica... instituit pro Catholicis et Acatholicis, ut forum, diu desideratum, habeatur, ubi res quibus mentes hominum agitantur, a doctis viris secundum principia catholica dilucidentur; ita ex. gr. egerunt de labore et " capitalismo "; divortio; inquisitione; litteris catholicorum....

Buenos Ayres, Villa Devoto. **Sodales theologi et philosophi** seminarii cum aliis urbis novem ccbus. die 8. XII. a. 1925 votum solemne emiserunt defendendi semper assumptionem B. V. eamque gratiarum sequestram esse, quod votum subscriptum miserunt immediate ad S. Sedem et ad cm. dominorum Salvador unde propositio votum emittendi exierat. P. Praeses materiam exhortationum sumpsit ex regulis S. P. Ignatii sentiendi cum ecclesia; tunc egit de castitate eiusque munimentis, praesertim de " vita interiore; " mense maio de servitute mariana iuxta B. Grignon de Montfort.

Sectiones **caritatis, catechetica, missionum** bene laboraverunt. Huic adhaerent soli philosophi. Ad expositionem missionum, aperta a festo S. P. N. Ignatii, " apostoli admirabilis et patris innumerabilium apostolorum " 500.000 signa postalia cum magna patientia dena composita paraverunt. Alia obiecta exposita, res piae mittendae in missiones africanas mediante sodalitate S. Petri Claver, a sociis sectionis collecta fuerant. Coetus sollemnior eodem tempore habitus multum inflammabat corda auditorum praesertim etiam pro opere S.Petri Apostoli quod Pius XI. tantopere commendat clero. Quae flamma ultra muros seminarii foras exiit, nam tempore feriarum socii cis per totam rempublicam pro missionibus erant industrii. Nummos collegerunt per annu.n 512. doll. Octo ephemerides missionum legebant.

Haec omnia tantummodo effici potuerunt opera numquam intermissa P. directoris qui unaquaque hebdomada ad sectionem verba fecit de variis quaestionibus et operibus missionariis et pretiosas S. Pontificis litteras encyclicas februarii 1926 explanabat.

Sectio **caritatis** a sociis suis multam abnegationem et fervorem his ultimis tribus annis postulat; benedictio coelestis non deest. Tria nosocomia inviserunt socii 628 visitationibus 93; tunc egerunt cum 7739 infirmis, quorum moverunt ad recipiendum baptismum 4 (adultos), matrimonium ut sacramentum 2, sanctam unctionem 86, s. communionem 229, primam comm. 3 adultos et 8 pueros, confessionem 355; dona pia distribuerunt 11.000; semper instructio quoque catechetica fiebat. (1).

(1) Idem genus apostolatus etiam exercent bono cum successu sodales seminarii regionalis Campano (Italia); vide: Cor unum in Christo, Posilipo-Napoli, 1927, p. 16.

Sectio **catechetica** omnibus diebus dominicis variis in ecclesiis circiter 500 pueros instruit, attractos variis mediis: donis, ludis... Bis vel quater in anno ad primam communionem accedunt parvuli.

Simili modo laborat c. minor (alumnorum rhetor. et human). quamquam in primis procedit orando et sacrificando. Sectio **caritatis** infantibus infirmis 200 libros, 986 obiecta pia et multos fructus et dulcedines distribuit, quod aeque sectio **catechetica** praestabat. Sectio **missionum** collegit 660 pesos multasque missas, communiones aliasque opera pia obtulit. Gaudet haec c. etiam sectione **pietatis**.

(Cf. Seminario de Buenos Ayres. Annuario VI, 1926, pp. 57-80; 93-107).

Domus Professa *Valentina* (Hispania). In dies succedit maiore prosperitate Circulus Scolaris et Mercatorius nostrae Congregationis Marianae. Nuper latum est publicum decretum ut illius repraesentatio officialis habeatur in Municipio, per virum sodalem, qui a nobis eligatur. Atque designatus est nunc vir amicissimus noster, egregiis dotibus ornatus, qui statim ad P. Provincialem scripsit suis officiis ex animo offerendis. - Eidem Circulo commissa est officialis censura opusculorum et ephemeridum, quae Valentiae venalia proponuntur; quare coeptus est, magna morum utilitate, impediri aditus plurimis libellis et recensionibus obscoenis, quae igni mandata sunt. Nostra etiam opera utitur, scilicet per viros Circuli, Gubernator Civilis Provinciae Valentinae in bello quod indixit publicae immoralitati.

Tilburg (Hollandia). Multis ccbus. languentibus exemplo est c. **virorum** urbis Tilburg. Sectiones habet has: 1° **vigiliam honoris** (ador. Ss. Ss.) 2° opus **frustorum;** 3° opus **lectionis in nosocomiis:** parvae bibliothecae pro infirmis eriguntur, periodicis subscribitur tum pro aegrotis cum pro aegrotorum ministris; 4° **Subsidia aedificandae ecclesiae gratia colligenda;** tempore sex annorum collecta sunt 100.000 flor.; 5 opus **S. Francisci Regis;** 6° „ Petrus Donders fonds " **(copiae quibus futuris missionariis facultates praebentur** ut studiis se dare queant); 7° **" bursa " ad sustentandos iuvenes clericos dioeceseos;** 8° opus cui titulus **" mortuos nolite honorare floribus ",** ut abusus in ornandis mortuorum arcis et tumulis tollatur et mortui potius missae sacrificiis subleventur.

(Cf. Directeurentijdschrift, 1926, p. 35).

Cc. Operariorum quas dirigunt PP. prov. Aragon

Agitur de ccbus. et virorum et juvenum quarum socii vel ad unum omnes vel fere omnes operarii sunt.

Barcelona: quatuor, quarum una, virorum, 300 sodales numerat; sectiones habent: communionis dominicalis, visitationis Ss. Ss., vigiliae ante Ss. Ss.; visitationis infirmorum, perseverantiae (ut " exercitantes "). Similis est illa iuvenum cum 200 sociis.

Manresa: quatuor: una virorum, una iuvenum, una puerorum, una 600 virginum quae inter alia opera etiam scholam vespertinam artis suendi et rei domesticae dirigunt.

Tortosa: tres iuvenum.

Palma de Mallorca: quatuor: puerorum, iuvenum, virorum, operariarum.

Valencia: Septem: una 1300 puerorum et iuvenum buorum plus quam 800 adhaerent uni ex sectionibus

missionum, catecheseos, rosarii diarii, zeli et constantiae, missae et communionis cotidianae; 650 sociis infirmis in auxilium venit; 25.000 ies libros mutuo dedit; numerat visitationes 14.000 in nosocomio, 13.000 in asilo pauperum senium. (1).

Magnam partem operarii sunt sodales cis. " catechistarum " qui 15 catecheses per urbem faciunt. Alia c. est famularum; distribuuntur in 29 turmas quindecim sociarum.

Gandia: quatuor, quarum duae leprosorum in sanatorio.

Alicante: tres; item tres **Orihuela** aeque ac **Huesca.**

Zaragoza: 2; ita etiam **Veruela.** Ergo **40.** (V. Cartas y Noticias edificantes de la prov. de Aragon, 1926).

(1) Ex 308 adspirantibus a. elapsi 258 admittebantur. Omnes sodales exercitia spir. cotannis subeunt et terminant communione generali: plusquam 1000 adulescentes simul! Simul quoque omnibus diebus dominicis et festis missam audiunt et saltem 350 semper numerantur communicantium.

Epistolae ad Editorem.

I.

Rev. Pater,

Valde bene *officia nostra* a P. Bús in A. O. 1926 p. 53 s. circumscripta sunt. Liceat mihi insistere in eo verbo: " ut tandem forma gregis suae sint... „. Hoc ante omnia opus esse videtur et quidem eo sensu ut director sodalibus exemplum clarissimum sit vitae supernaturalis unionis cum Deo. Ni vehementer fallor, in hac re deficimus. Si director res aggreditur modo humano tantum, facillime et fere certo certius a sodalibus superatur qui maiore experientia res secundum mundana principia tractandi gaudent. Quod iure merito a nobis exspectant postulantque est instructio spiritualis, supernaturalis vitae incrementum. Idque doctrina nostra practica, i. e. nostro exemplo, non solum verbis, licet pulcherrimis.

Novimus Patrem omnibus dotibus *naturalibus*, etiam necessario nummo et nomine nobili notissimo optime exstructum, ut bonum directorem ageret. Sodales, universitarii, virum hilarem, alfabilem, largum, multum amabant libenterque excursionibus similibusque delectationibus a directore oblatis intererant; director, ut quam plurimos attraheret, per ephemerides annuntiabat orationes suam quas optime praeparabat, imo, ut eo ii elius diceret, ex praeclaris auctoribus depromptas saepe *legebat*; et tamen fructus parvus erat omnis laboris quia director non tam serium profectum quam delectationem cum externam tum internam, sc. mentis, ut finem sibi proposuerat et mediis naturalibus nimis innitebatur.

Alius Pater, e contra, omnibus fere dotibus naturalibus destitutus erat ita, ut confratres risum moverent quando ille a P. Provinciali licentiam cis. condendae petiit, et obtinuit! Erat enim, quod Provincialem non fugit, vir vere spiritualis, sincero iuvenum amore et gloriae Dei zelo ductus. Et ecce! tentamen proficiebat ita ut mox plures sodales haberet quam director de quo supra eosque optimos ex variis scholis; ipsi directores et professores scholarum status gratias Patri egerent de suo zelo; et quod plus est: paucis annis post exstructam cm. episcopus dioeceseos P. Provinciali confessus est hanc cm. quae iam plures ad studia theologica miserat socios, maximam sibi spem praebere ut seminarium principale vocationum sacerdotalium. Neque spes fefellit!

Forsitan haec duo exempla nonnihil iuvant nostros directores.

Commendo me. S.in Ch.

I. W.

II.

Rev. in X. Pater,

Desiderio petentis Patris *opus grande* omnibus sodalibus proponendum (vide A. O. 1927, p. 2) fortasse satisfit operibus illis et similibus de quibus sermo est in A. O. p. 5 ad vocationes promovendas. Multis sacrificiis, orationibus, eleemosynis ad hunc scopum obtinendum semper opus est.

Vel aliud opus ccum dignissimum: A. O. p. 7 narratur adolescentem Melgarejo qui mortem gloriosam subiit in Mexico fuisse sodalem. Propono omnibus, ante omnia vero iuvenum ccbus *petitiones s. Sedi faciendas pro beatificatione* huius sodalis nostri eiusque amici; et *orationes* ut Deus vota nostra exaudiat. Item quandam cruciatam precum pro populo tam oppresso tamque fideli mexicano. Multae forsan cc. etiam eleemosynis subvenire possunt persecutis istis fratribus.

Commendo me Ss. Ss. R. V. s. in X.

L. F.

DE CCBUS IN HOLLANDIA A 1926

Auctore: P. IACOBO MULDERS S. J.

Apud nos nunc de ccbus in genere agitur, praecipue cum respectu ad iuventutem catholicam. In nostra patria ex 999 ccbus 770 institutae sunt pro iuventute, sc. 290 pro iuvenibus et pueris, 486 pro virginibus et puellis, 70 pro viris, 149 pro mulieribus, 4 pro sacerdotibus. Tertius ordo S. Francisci et archiconfr. S. Familiae apud nos instituta religiosa sunt imprimis pro adultis.

De organisatione iuventutis in Neerlandia aliqua narrare iuvabit, ut status hodiernus nostrarum ccum melius intelligi ueat.

Ante 10 circiter annos sacerdotes et duces iuventutis fere repudiabant sodalitatem marianam quia, ut dicebant, non praebebat, quod tempus posceret. Organisabant sine line in circulis, unionibus, societatibus...; c. mariana nullo numero erat; solummodo in ecclesia se spectandam praebere potuit.

A secretariatu nostro ccum tunc tres articuli in lucem edebantur in periodico nostro pro praesidibus ccum (Direkteurentijdschrift): Inopia fatalis nostrae organisationis iuventutis. Inde irae et rixae!

A. 1922 in urbem Hagae Com. congressus nationalis 8 dierum iuventutis catholicae convocabatur: omnes uniones, " patronatus „, organisationes... invitabantur, exceptis ccbus marianis, 3 ordinibus et archiconfr. Ss. Familiae. " Cur non nos quoque? „ interrogabamus. " Obliti sumus „, responderunt! Nos vero illum qui nobis debebatur locum postulavimus; obtinuimus duas sectiones et unum conventum principalem. Nostri congressus plurimis venerunt sicuti revelationes.

Et quid nostris diebus? Ex omni parte postulant cc. marianas! Anno elapso ipsi duces iuventutis inter se lites moverunt. Belli sedes erat folium De Tijd. Ex inopinato, nobis insciis, scribebantur a sacerdote saeculari duo egregii articuli: Organisatio futura iuventutis: c. B. M. Virginis. Usque hodie nemo respondit: lites subito finitae. Idea cis in pectora alte descendit, impulsus stabilis ad cm. adest, maxime in dioecesi Haarlem, ad quam pertinent urbes Neerlandiae maximae: Amsterdam, Haag, Rotterdam. Res ita se habent ut pro hac dioecesi necessarius sit conventus praesidum; sacerdotes fere omnes favent ei, quod, ni fallor, attribuendum est quattuor recentibus cbus sacerdotum Amsterdam, Haarlem, Haag, Rotterdam.

Mense maio conventus convocabitur. Proxime Nostri qui se dant iuventuti inter se discutiebant normas quarum omnes Nostri rationem habeant quando agitur de relatione inter coetus iuvenum et cm marianam.

Ephemerides marianae nostrae, ut de his etiam verbum dicam, sunt: Ave Maria (pro sod. sexus fem.) 13.000,

Omhoog (pro viris et iuven.) 7000 in mense numerant subscriptores, Directeurentijdschrift (pro directoribus) quater per annum 520; non multum, sed satis esse videtur in parva nostra Hollandia.

(Restat, ut gratissimam hanc relationem Praesidis secretariatus ccum. per Neerlandiam compleamus dicendo omnem hunc progressum quam describit deberi ipsi et P. H. Van Ruth qui perseverantes et periti contendebant ut rem sodalitatum quam maxime promoverent. Ed.).

DUARUM CCUM. COMMERCIUM PER EPISTULAS.

Congregationis Lugdunensis s dales caram memoriam retinuerunt coniunctionis vere fraternae quae fuit inter suam sodalitatem ac vestram. Nisi temporibus extraordinariis cedendum fuisset consuetudines illae et religione iunctae et coagmentatae amicitia christiana dissociatae non essent. Nunc vero tam gravia illa tempora fuerunt ut sodales Lugdunenses Lutetiam negotiorum causa petentes coacti sint carere commodis a sodalibus vestris oblatis in ista urbe ubi per benignam caritatem vestram a multis periculis tuti tot solatia inveniebant. Verum, inter molestias curasque quibus mutuo adfecti eramus nunquam destitimus misericordem orare Deum qui petentibus nobis tandem satisfecit.

Per vos igitur liceat nobis vobiscum conjungi ad bonum promovendum; totis viribus Providentiam divinam patriae nostrae misericordi animo consulentem adiuvemus.

Alii aliis exemplo esse conemur. Dominus Roger quem pro multis ac variis in nos meritis, parentem paremanter dicimus, has litteras vobis reddet. Huic imprimis mandamus ut, nostro nomine, illam societatem amicitiamque vobiscum confirmet. Facultatem igitur vos facere velimus ad vos mittendi socios nostros qui Lutetiam negotiorum causa petunt. Nos rursus gratum habebimus vestros Lugdunum venientes excipere et eis adiumento quam maximo esse.

Precibus nos vestris praecipue commendamus; nosque fratres in Iesu et Maria amantissimos habeatis veimus.

Du Coin, *praefectus*
nomine Sodalitatis Lugdunensis.

(Epistola haec scripta fuit a. 1814 ad celeberrimam C. Parisiensem cui c. Lugdunensis ab a. 1803 aggregata erat; v. G. de Grandmaison, La Congrégation, ² Paris, 1890, p. 232 s).

FOEDUS CCUM. VIRORUM

AMERICAE MERIDIONALIS

I.

Existit ibi foedus nationale CC. virorum, cuius ut ita dicam anima est C. maior dominorum et iuvenum, quae a. 1858 in collegio S. Ignatii in urbe Santiago (Chile) ortum sumpsit. Mente agitantes propagationem pessimarum opinionum contra fidem et veram salutem hominum, hi sodales a. 1918 consilium inierunt propagandi C. marianam ut medium adaequatum quo in urbibus manus et turbae selectae nutriantur quarum socii, omni ex parte christiani, dispositi sunt ad apostolatum religiosum et socialem.

Res bene successit: in republica Chile hodie in 140 CCbus. 6000 sodales numerantur (*). Assiduo conatu et labore opus erat tum directoris tum praefecti aliorumque sodalium. Crebra itinera in oppida vicosque fecerunt ut imprimis coram agendo in viris desiderium Cis. excitarent. Nunc vero potissimum Chilense munimen spirituale et bene organisatum contra agitationes impiorum sunt CC. marianae; ut tale propugnaculum habentur ab episcopis.

Sed ultra processit C. ista. Mense sept. 1921 ad sedem suam convocavit magnum conventum cui interfuerunt delegati omnium fere terrarum Americae latinae. Ibi foedus fecerunt omnes CC. Chilenses, cui praeest consilium, magis in annos laborans; ultimum maiorem congressum coëgit in 21. nov. 1926 de quo plura infra m ox dicemus. Iam a. 1925 hoc consiliu n praefectum suum misit ad sodales reip. Argentinae et Uruguay. Die 15. VIII. 1925 CC. 25 reipublicae Uruguay foedus nationale inierunt; die 8. IX. federationem cum CC. Chilensibus et Argentinis; iam mense ianuario 3 cc. urbis Habana (reip. Cubae), postea CC. de Caracas, Quito et Riobamba (Equador), ultimo tandem CC. status S. Pauli in Brasilia sese adiunxerunt. Et iam missae sunt mense sept. 1926 litterae ad Cardinalem Toletanum quibus tota haec unio Americana meridionalis votum facit intime uniendi se cum CC. Hispaniae.

Grandis et gravis vis foederationi inest; quantum bonum inde exsurgere potest, imo debet si bene dirigitur!

II.

Congressus CCum foederatarum.

Die ergo 21. XI. 1926 in urbem Talca convocabant 5. congressum ccum totius reipublicae Unoquoque etenim anno hos consessus generales in alia semper urbe viri et mulieres separatim celebrant. Bene dixit P. Correa S. I., director foederationis, hos congressus multum facere ad cognitionem et amorem mutuum militum B. Virginis, ad fortem renovationem virium et militantis valoris catholici. Hodie necessarios esse exercitus bene instructos contra hostes Ecclesiae; novo spiritu imbui debere fideles: deponendum esse spiritum timiditatis et commoditatis personalis, cuius "tactica" unica est regressus. — *Spiritum cis* renovatione non indigere, cum sit spiritus fidei quaerens regnum Dei ac salutem animarum, et spiritus valens progressus et patientiae, renuntians illusioni qua opinatur transformationem moralem populorum fieri posse subito. Spiritus noster est supernaturalis, est spiritus apostolicus qui imprimis fideles selectos in unum coadunare vult qui vires et animum in se sentiunt excellendi virtute christiana. Id etenim *programma* lucidum cis est: d. M tre duce homines formare catholicos practicos, exemplares; apostolos; fortissimos defensores Ecclesiae. *Organisatio* cis sapiens est et vigorosa: dux, officiales, corpus exercitus.

Quae in pluribus sessionibus tractabantur haec sunt.

1) Quomodo super regularum fundamento *progressus sodalium religiosus, moralis, socialis* appeti possit, ut melius in dies verificetur programma cis. Orator laicus et cum ipso totus congressus duo poPoscit: cognitionem et studium regularum; executionem perseverantem exercitiorum spiritualium prout in c. 6 reg. commendantur. Sodales qui nondum in se animum ad haec omnia perficienda sentiunt, tendant ut hunc spiritum acquirent.

Pariter postulabatur, ut ces unaquaque hebdomada, non rarius, conventus consuetos habeant tum propter perfectionem individualem tum propter vitam et spiritum "corporativum".

2) Commendantur ut *cces parochiales condantur*, quae assidue cum clero cooperentur ad opera apostolica, praesertim ad constitutionem familiarum catholicam, ad prae arationem moribundorum ut sacramenta accipiant, ad contrariandam propagationem protestanticam. **Non** adprobabant (et recte quidem) propositionem alicuius parochi: omnes cces absque ulla conditione ad nutum et mandatum parochi semper obedire d bere.

3) *Cc. inter opifices et iuvenes condendae* sunt et

(*) Secundum hic dicta, multo maior pars cc. in rep. Chile sunt cc. virorum; nam ex *A. O.* I, p. 33 et 76; II, p. 16; III, p. 10, numerus omnium omnino cc. ibi circiter 196 erat initio anni 1925; hoc anno accedebant iterum fere 40.

quidem ex membris eiusdem conditionis qui per suam activitatem ubique charitatem evangelicam spargant qua reconciliatio variarum civium classium efficitur.

Bene etiam dicebatur, non esse satis exercere charitatem per opera aliqua in communi tantum, sed maxime omnibus necessariam esse bonitatem, affabilitatem individualem similesque virtutes adnexas quae praeprimis exercendae sunt a divitibus, superioribus ..

4) Consilia practica pro ccbus et sodalibus singulis *ad augendas convocationes sacerdotales* quia in Chile penuria sacerdotum valde dura est. Quare sodales intensam reddere debent vitam spiritualem, ante omnia per orationem, s. communionem, exercitia S. Ignatii, ut vocationes nascantur; parentes in familiis suis orationem communem iterum in usum ducant et, quod caput est, exemplo stricto evangelii doctrinis adaptato praeluceant; insectatores erunt immoralitatis omnigenae et in hunc finem **formabunt foedus quo sodalibus ostenditur quae ipsorum sunt circa prelum et lectiones, saltationes, theatra, liberiorem agendi modum puellarum tam perniciosum.** Et " bursae " in seminariis condantur.

Quaedam insuper magis particularia proposita sunt: *a*) sodales frequenter orent Deum Patrem per intercessionem B. M. V. ut novas vocationes suscitet; *b*) parentes infantibus iam a tenerrimis annis imaginem Infantis Divini belle depingant eosque quamprimum ad cm marianam adducant; *c*) qui vocationem in se sentire putant, multum orent ut eam clare cognoscant et cognitam cum fortitudine amplectentur; *d*) omnes omnino professores et directores scholarum cum bonitate et affectu paterno alumnos ad viam perfectionis ducant.

5) *Instructio religiosa in omnibus scholis publicis* Status poscenda, ut depellatur materialismus nudus qui in eis fere ubique regnat.

6) *Contra immoralitatem et neo-paganismum in moribus* cc. animo forti adiuvabunt episcopatum in bello contra malas modas, saltationes, theatra, cinematographa; ligabunt se cum unionibus catholicis quae hunc scopum in aliis terris prosequuntur; postulabunt a gubernio poenam et multationem eorum qui hac in re peccant.

7) *Ad statuam B. V. de Carmelo corona ornandam* sodales quamplurimum conferent; S. Mariam sub hoc titulo reginam familiarum eligant quo medio efficacissimo eo facilius regnum Ss. Cordis erigetur; cotidie familiae rosarium recitent.

(Die 19. XII. 1926 haec statua a Nuntio apostolico, praesentibus omnibus episcopis rei publicae, ministris aliquibus multoque populo coronata est ut regina Chilensis et summa militiae magistra).

8) *Cc.* uniuscuiusque dioeceseos inter se, tunc uniones omnium dioecesium, omnes terrae Americae latinae, tandem hae cum peninsula iberica *unionem valentem ineant*. Et cc. quam plurimae condendae sunt. (Unioni dioecesani facile et utiliter praeludere potest unio ccum eiusdem parochiae, urbis. Editor).

De statu et vita ccum virorum Chilensium bene edocemur oratione quam praeses foederis fecit.

Difficile et lente tantum responderunt cc. ad quaestiones concilii centralis foederationis. Tandem 102 cc. cum 5429 viris congressum adprobarunt, 99 cc. suos delegatos miserunt.

Fere omnes cc. progrediebantur a. 1925-6 tam quod ad numerum sociorum quam quod ad spiritum supernaturalem et apostolatum spectat. Visibilem decadentiam monstrant tres cc., non amplius conveniunt sodales octo aliarum ccum quas orator omnes nominat.

Concilium centrale magnopere commendabat conventus hebdomadarios et communiones mensiles: tres cc. bis in hebd. conveniunt; 44 semel in h.; 9 bis, 38 semel per mensem; aliae nihil responderunt. In omnibus fere ccbus plus quam 50 0|0 conventibus intersunt; in Valparaiso circiter 40 0|0, in Santiago 30 0|0.

Ex ccbus in seminariis et collegiis una cotidianam, septem hebdomadariam, quadraginta mensilem communionem praescribunt; de ceteris nihil scitur Die eucharistico, 20. VI. 1926, adhortante concilio foederis, sodales frequentes erant ad s. mensam; istud concilium 41 membra in varias reipublicae urbes misit, ut verba facerent in congressibus eucharisticis huius diei.

Exceptis 14 ccbus omnes vel inter missam vel alia occasione recitant Officium parvum B. V.

Ephemeridibus marianis foederis non subscribunt 20 cc.

Fere omnes cc. aut propria opera apostolatus nutriunt aut alia adiuvant. Praecipua haec sunt:

Conferentiae S. Vincentii a Paulo; visitationes carcerum et nosocomiorum; catecheses; scholae vespertinae pro opificibus; circuli studiorum socialium; bibliothecae; conferentiae publicae religioso-sociales; propagatio fidei; societas protectrix studiosorum catholicorum; distributio foliorum periodicorum et volantium; patronatus et iuventutis centra; opera parochialia; apostolatus orationis; sex dominicae aloysianae; exercitia spiritualia; adoratio Ss. Ss.; cruciata eucharistica.

Finem faciamus pulcherrimis verbis quibus Archiep. urbis Santiago in antecessum salutabat congressum:

" De novo grata mihi venit dicendi facultas profundam meam sympathiam operi quod in actione catholica praestat confoederatio vestra.

Cc. marianae absque dubio unum ex instrumentis privilegiatis sunt quae misericordia Dei in consiliis suis tenet, ut efficiatur unio hominum in D. N. I. Christo et s. suo Evangelio „.

III.

Statuta huius Foederis.

1) Finis: conservatio spiritus genuini in ccbus, unio et uniformitas in actione religiosa et sociali. Adhaerebunt cc. quae libere voluerint et has leges adprobabunt.

2) Directio: foederi praeest *consilium supremum* residens in urbe Santiago; constituitur a praeside cis dominorum ad coll. S. Ignatii eiusdem urbis, ab alio sacerdote quam Archiep. nominaverit, et a tot delegatis sodalibus quot dioeceses et vicariatus apostolici in republica numerantur. Qui delegati eliguntur a consilio dioecesano ad triennium.

3) Consilium supremum ex sinu suo nominabit unum praesidem, duos vices gerentes, duos secretarios, thesaurarium. Con essus saltem semel per mensem habentur

Huius consilii est: a) praebere media opportuna ad conservandum iuxta regulas generales bonum spiritum in ccbus; b) procurare soliditatem unionis quam maximam inter cc. foederatas et sodales; c) promovere ratione et via actionem religiosam et socialem ccum foederatarum; d) dirigere periodicum " Efemerides Marianas „ tamquam medium efficacissimum ad obtinendum finem foederis; e) adlaborare ut novae cc. condantur, praesertim in urbibus; f) visitare certis temporibus cc. aggregatas per delegatos qui executioni sententiarum invigilent et impulsus dent; g) componere conspectum generalem omnium congreganistarum in republica; h) praesidere congressui annuo ccum, ubi refertur de conditione ccum, assumuntur media maioris profectus, deliberatur de relationibus ad cc. aliarum terrarum.

4) Singulae dioeceses instituant consilium dioecesanum ad obtinendos fines cis intra suos limites. Constituunt tale consilium dioeceseos: sacerdos ab episcopo designatus, omnes directores ccum urbis, in qua hoc consilium sedem habet, 5-7 sodales nominati a conventu generali omnium sociorum magistratuum singularum ccum dioeceseos (difficile erit, hos omnes convocare, si dioecesis magna et numerus ccum non est parvus! Ed.). Et vi muneris ad hoc consilium dioecesanum jus habent praefecti ccum in urbibus quae provinciarum capita sunt (ubi pauca oppida, et paucae cc, ita esse poterit; secus vero consilium dioecesanum ob maiorem numerum sociorum difficile movebitur).

In urbe Santiago vices consilii dioecesani agit totus magistratus cis ad S. Ignatium cui singulae cc. urbis delegatum suum unaquaeque adiungunt.

Consilia dioeces. munere suo funguntur per 3 annos; saltem semel unoquoque mense conveniunt; cum consilio supremo commercium epistolarem assiduum sus-

tentant; laboris sui rationem reddunt congressui annuo generali.

5) Socii consiliorum dioeceseum et consilii supremi approbatione ecclesiastica indigent.

6) Consilium supremum pro opportunitate annuentibus consiliis dioecesanis constituere potest consilia provincialia.

(Cfr. Efemérides Marianas, 1926, p. 378|9).

TRES CONGRESSUS REGIONALES CCum JUVENTUM PER PROVINCIAM ARAGONIAE

Die 18 aprilis a. p. a ccbus. *Gerona, Salt et Collel* in urbe **Bañolas.** H. 8 1|2 missa et communio generalis h. 10 missa solemnis, processio per vias. H. 4 consessus solemnis; verba ipsa juveniles oratores fecerunt de relationious inter Ss. Aloisium et Stanislaum ad cm. marianam. Interpositi fuerunt cantici et versus quibus recitatis aliqui directores paucis insistebant argumentis a iuvenibus propositis.

Hic 2. congressus provinciae Gerona «dies gloriae pro S. Virgine» dicitur.

Quod pariter affirmari potest de conventu a 12 ccbus dioec. Tarragona habito die 2 maio in oppido **Cambrils** cui intererant circiter 100) iuvenes. Diem hanc fere eodem modo celebrabant ac priores cc. in urbe Bañolas.

C. *Manresa,* quasi mater plurium aliarum, has ab a. 1923 quotannis convocat in commune. Ita etiam a. 1926, die 18. VII, in oppidum **Artés,** ubi nulla c. erat. Primus quasi fructus congressus erant cc. iuvenum et puerorum huius oppidi, conditae tempore quo praeparabatur congressus. Huic circiter 420 iuvenes adsistebant, cum directoribus suis qui ipsi etiam soli consilia inierunt de rebus sodalitatum. Applaudebant iuvenes duobus propositis: festa patronorum ccum solemniter celebranda; unoquoqne anno exercitia spiritualia peragenda ab omnibus sodalibus et ad exercitia alios quoque iuvenes et viros esse adducendos.

(Cf. Cartas y Noticias Edificantes de la Provincia de Aragon, 1926, pp. 107; 132; 167).

NUNTII BREVIORES

Ci S. Aloisii *Alicante* die 6 I. 1926 ipse episcopus dioecesis novam domum benedixit et interfuit ceremoniae qua sodales hanc aedem Ss. Cordi dedicaverunt. Non paucae difficultates ad domum comparandam superari debuerant.

Tantum et plus etiam episcopo placuit scola quam eadem c. aperuit sub vocabulo collegii S. Fr. Xaverii. Quatuor magistri dirigente P. Praesite curam 56 puerorum duarum classium habent. Opus praeclarum sodalitatis!

QUOMODO FESTA CIS CELEBRANDA

disces ex gr. a ce *dominorum* ad resid. S. J. **Habana,** erecta 10. I. 1875:

Vespere h. 10 praesentibus 500 sodalibus P. praeses Ss. Sacramentum exposuit et breviter de adoratione locutus est. Usque ad h. 11 adoratio et copia confessionis. H. 11 P. Superior resid. contionem de iubilaeo dixit. H. 11 3|4 celebrans canonicus Te Deum intonuit, media nocte sacrum coepit. Interim 3 advocati in candidaturam, 10 candidati ut sodales admittebantur. Omnes sodales pane eucharistico reficiebantur.

Aliquot post menses etiam conventus publicus coactus est ad quem permulti catholici convenerunt (1).

C. *Filiarum Mariae* **Coruche** (Portug.) festum Imm. Conc. non solum novena praeparatoria, communione generali, missa solemni et conventu, sed eo quoque celebravit quod 12 pauperes et aliquos infirmos in hospitalibus eleemosynis donavit (2).

Non omnia placent quae aliqua *c. alumnorum* (non Societatis) ad festum titulare (8. XII) egit.

Pridie solemnem conventum cogebat. Die festo h. 6 1|2 officium marianum recitabat quo persoluto praeses sacrum et contionem faciebat qua sodales ad s. communionem generalem praeparabat. H. 9 missa solemnis, postquam in aula recreationis litterae multae sociorum antiquorum praelegebantur. H. 3 p. m. vesperae solemnes, receptio sodalium. Dum merenda lautior sumebatur, rationes singularum sectionum reddebantur; oratio circa Lourdes fiebat. Usque ad h. 11 confabulando et bibendo consedebant. Et diei finem imponebant solemniter recitando completorium. (C haec ceterum bono spiritu agitur).

Aliter festum titulare (8 XII.) celebratur a ce dominorum Barcinonensi.

Iam mense Novembri P. Praeses iterum iterumque 1500 sodalibus in memoriam revocat festum mox celebrandum. In ultimo conventu ante devotionem novem dierum distribuuntur folia arte facta, ut sodales nomina et horas inscribant quibus his 9 diebus ante Ss. Ss. per dimidiam horam orare volunt. Et alterum magnum folium ad eundem finem pro adoratoribus ipso die festo; accidit, ut 35-40 sodales unaquaque semihora honores dent Deo eucharistico!

Die 30. XI. h. 18 1|2 incipit devotio novendialis cui non solum totus magistratus cis, insignibus suis ornatus, et longe maxima pars sodalium, sed etiam multitudo non parva fidelium interest. Congreganistae qui huic sermoni quotidiano interesse nequeunt, circiter 60-80, mane h. 6 1|4 audiunt missam P. Praesidis ad altare B. V. splendidissime ornatum; et communicant.

Ipso die festo Immaculatae jam h. 4 multae familiae sodalium moventur, nam h. 5. P. Praeses missam dicit, cui circiter 200 sodales intersunt, quin communionem accipiant quia postea cum aliis id facturi sunt. Interim adducunt ex pluribus centris omnes pueros, operarios... qui in tutela cis sunt. H. 8 Provincialis missam dicit coram tot hominibus, ut etiam presbyterium occupent. Ante et post communionem P. Praeses verba facit. H. 10 1|2 iterum intersunt missae solemni. Postea circiter 200 pueri et iuvenes cum sodalibus laudes Immaculatae ad eius altare canunt.

H. 17 1|2 solemnis admissio novorum sodalium (1926 a tribus ccbus admissi sunt 84). Finem diei facit solemnis benedictio. Dominica proxima festa aguntur in ccbus ab hac dependentibus. (Cf. Cartas y Noticias de la Provincia de Aragón, 1926, p. 70-78).

(1) V. Boletin de la Anunciada, Habana 1926, p. 140; 1925, p. 313 ss.; 354.

(2) Mensageiro de Maria, 1927, p. 159.

C. mar. et societates S. Fr. Regis et S. Vincentii a P.

Societas S. Fr. Regis a. 1826 Parisiis condita est a **Iulio Gossin,** consiliario aulae regiae. Natus erat vir Bar-le-Duc 20 I. 1789; 20. XII. 1819 in celeberrimam congregationem dominorum Parisiensem, cui titulus B. M. Auxil. christ, admissus fuerat. Mense ianuario 1824 ad recuperandam valetudinem profligatam ad tumulum S Fr. Regis pelegrinationem instituit voto se obstringens pro viribus extirpandi concubinatum sanitate recepta. Exauditus opus difficile annuente archiep. Parisiensi, Msgr. de Quélen, aggressus est. Successus praeter omnem spem evasit: ab a. 1826-1885 curis et opera huius societatis solummodo Parisiis 62.967 matrimonia celebrata et 32.841 infantes illegitimi a parentibus agniti sunt.

A mense iunio 1844 usque ad mensem februarium 1848 I. Gossin etiam praefuit toti *Societati S. Vincentii a Paula;* obiit 12. IV. 1855.

Haec Societas ut primum praesidem habuit et forte ortum debet **Emanueli Iosepho Bailly de Surcy** qui primam " conferentiam „ convocavit mense maio 1833 (utrum instigantibns Ozanam eiusque sociis an non, decidant alii). Iam per septem circiter annos aliquos iuvenes in operibus charitatis exercuerat. C.i Parisiensi nomen dederat iam 9. IV. 1820 simul cum 4 aliis, praeside P. Petro Ronsin. Natus est 9. III. 1794, Brias (dioec. Arras), docuit philosophiam Parisiis, quando sodalitalem ingressus est. Praefuit societati litterarum, cui assiduus interfuit Fredericus Ozanam qui ipse C.i non adhaerebat, nam C. haec a. 1830 suppressa est; ab a. vero 1824 eius frater Alphonsus, tum stud. med., postea sacerdos, († 26. XI. 1888) fervens sodalis erat illius C.is, qui certo certius de operibus charitatis sodalium fratri iuniori narrabat. Praeluserat enim Societati St. Vincentii alia, cuius auctor C.is praeses (1812-14) Legris-Duval, fuerat et in quam solummodo sodales admiserat etiam tunc quando muneri praesides renuntiato tantum huic societati, cui nomen erat " Société des bonnes œuvres „, se devovebat. Alphonsus Ozanam socius huius societatis erat. Tribus sectionibus opera sua charitatis exercuerunt hi sodales: visitando hospitalia, invisendo carceres, instruendo in veritatibus fidei et morum iuvenes purgantes fumaria. Sponte et necessario excrescebant opera nova (" sectiones „), v. g auxilii ferendi operariis infirmis, hominibus paupertatem dissimulantibus, captivis ab aere alieno laborantibus, pupillis; item societas amicorum infantiae, opus S. Annae, S. Ioseph etc.

Ergo constat, Societatem S. Vincentii saltem **non** solum a Fred. Ozanam, sed etiam a sodale mariano E. I. de Bailly conditam esse; novus erat ramus pii operis a praeside C.is fundati et a sodalibus solis compositi. Ozanam utique ex primis 6 socis, studiosis, erat, 21 a. natus.

(Cf. G de Grandmaison, La Congrégation ², Paris 1890, Plon. Et: La Documentation Catholique, Paris 1926, Bonne Presse, p. 578-631).

Tria vexilla mariana in Hispalensi urbe.

Haec civitas, quae inter omnes civitates in cultu B. Mariae Virginis eminet, potest in huius tituli confirmationem tria proferre eximia vexilla, certa argumenta suae in Mariam Virginem singularis venerationis.

Quibus quidem tribus vexillis tria commemorantur vota pro totidem dulcissimis mysteriis, in quibus defendendis Hispalis princeps fuit omnium populorum.

Horum vexillorum id primas honoris obtinet, quod ad Nazarenos Pristinae Sodalitatis Sanctae Crucis in Hierusalem, alio nomine " Sodalitatis Silentii „ pertinet; haec enim, impulsu Thomae Pérez, religiosissimi viri ac Virginis Sanctissimae, devotissimi, die 29 septembris anni 1615 " votum et iusiurandum sanguinis seu cruentum „ prima omnium primum nuncupavit pro Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis; cuius gloriae ut perpetua memoria exstaret, vexillum erigendum curaverat.

Id sodalitas, in *pompa poenitentiae* quae die Sanctae Parasceve, primo mane peragi solet, singulis annis Hispalensibus ostendit, ut ea verba dicere tacita videatur: " Tu, Hispalis, prima omnium urbium votum et iusiurandum cruentum pro Immaculata Mariae Conceptione nuncupasti „.

Magna quadam serica tabula candidum vexillum constat, in cuius fronte eae inscriptae sunt caeruleae litterae:

Q.		S.
	M. A.	
	D.	
A.	L.	C.

quae latinis illis verbis respondent: *quis sicut Maria Deipara absque labe concepta.*

Alterum vexillum est " Antiqui Gregis Divinae animorum Magistrae „ (rebaño de la divina Pastora de las almas), templi filialis Sanctae Marinae.

Quae sodalitas cum a P. Fr. Isidoro Hispalensi O. M. C. esset condita, eam gloriam sibi vindicat quod die 8 Septembris 1903, festis anniversariis primum celebrandis, voto et iureiurando sollemni sese prima contrinxit, ut Assumptionem B. Virginis in coelum teneret et defenderet.

Ad perpetuam solemnis huius voti memoriam, decretum est in Capitulo die 7 Aprilis 1907, ut signum hoc constitueretur.

Quod quidem rectis angulis formatum, ex serico confectum, litteris aureis inscripta haec habet:

Primitiva Hermandad
de la
Divina Pastora
Primera que hizo el voto de
defender el Misterio de la
Asunción de Nuestra Señora.

quae latinis verbis exprimi possunt: " Pristina Sodalitas Divinae gregis Magistrae, quae prima votum mysterii Assumptionis Dominae Nostrae defendendi nuncupavit „.

Inaugurabatur die 25 Augusto 1907, in pompa nocturna.

Tertium vero insigne signum ad " Regalem et illustrem Sodalitatem Sanctissimae Crucis Exspirationis et Dominae Nostrae sub titulo Patrocinii „ pertinet, quod pro Virgine, Mediatrice omnium gratiarum, primum est comparatum.

Non solum in votis pro Immaculata Conceptione et pro Assumptione faciendis, sed et in hoc alio pro Maria, Mediatrice omnium gratiarum, Hispalis omnibus nationibus praefuit, quod die 14. Decembris 1924 a Sodalitatibus Immaculatae Conceptionis et Scti Aloisii primum factum est; quos auctores secutae omnes hispalenses Sodalitates et Fraternitates in suis festis posteaeodem voto sese obligaverunt; haec vero quae iam a medio saeculo XVII celebrababat hoc tam magnum " Patrocinium „ quod est theologica sequela " Mediationis Universalis „, cum pro mediatione votum et iusiurandum nuncuparet, vexillum pro eadem Mediatione instituendum decrevit.

Est mira arte et delineata et confecta; tabula quadam componitur auro et serico ficta, cuius, ut ita dicam, paginae amplum locum sententiis ostentant, in earumque capite tiara et claves Pontificiae sunt depictae.

In ejus dorso haec scripta sunt:

" Mediatrix omnium gratiarum „
" Dedisti protectionem
Salutis tuae „
21 Decembris 1926

Quibus verbis et Mysterium et votum optime significatur.

Cum hoc signum manibus Serenissimae Dominae Aloysiae Orleans, principissae, neptis multorum regum, teneretur, ab Emo Archiep. Hispalensi, Dr. Eustachio Ilundáin et Esteben die 21. novembris 1926 rite est consecratum. Proxima feria VI Hebdomadae Sanctae primum proferetur.

Praeclara quidem vexilla Nazarenorum Silentii, Gregis Divinae Magistrae, Sodalitatis Patrocinii! Praeclara signa marianae devotionis! praeclarae gemmae Hispalensis civitatis!

(Cf. " *Estrella del mar* „, 1927, p. 23).

Quid a candidato C^is^ requiratur.

Spectatis officiis communibus congreganistae prout praesertim c. 6 statutorum enumerantur, a candidato requiri debet:

1) ut jam aliquo serio modo pietati addictus sit et ut bona voluntate gaudeat in vita coepta multum proficiendi;

2) ut haec pietas non sit solitaria, abscondita, contenta visitatione ecclesiae, sed activa sit oportet, auxilium aliis quoque hominibus ferens; proinde

3) ut candidati sint ad exercendum salutarem influxum in alios, saltem bono exemplo; generatim vero mediis magis positivis et directis;

4) ut, quod consequens est, jura Ecclesiae vindicent fortiter et libere, quisque inter suos saltem consortes, aequales; quare non quisque bonus, pius, catholicus jam aptus est ad C^m^. Quod quia saepe non observatur, quia delectus non fit, CC. non paucae ad meras confraternitates vel similes pios coetus deprimuntur, nulla auctoritate, nullo influxu gaudentes. Qua de causa v. g. non quisque bonus puer qui difficillime in scholis, praesertim publicis, progreditur, admittendus est. Sodalis inter pares sit *primus!*

Quid in sectione liturgica agi possit.

1° Narrari potest quomodo nostris temporis maior fervor in cognoscenda et amanda liturgia, nec non "apostolatus liturgicus„ (Pius XI) ortum sumpsit et crescebat.

2° Explicanda erit notio sacrificii et liturgiae, deinde devotionis et cultus eucharistici.

3° De variis modis cum fructu audiendi sacrum tractandum est necessario.

4° Historia missalis, explana io omnium ceremoniarum et rerum quae ad cultum divinum pertinent, non omisso ipso templo, multum placent; si fieri potest, loco et coram monstrentur.

5° Ritus aliorum sacramentorum aperiatur.

6° Liturgia, vel jam cultus omnium temporum populorumque in relationibus suis multiplicibus ad varias artes non parum temporis insumet et amoenam varietatem praebebit.

Haec et forte alia sodalibus — et aliis quibus aditus conceditur — gratissima et utilissima venient; quare plane negligenda non sunt, etiam ideo non, quia revera de aliquo modo apostolatus agitur.

Labor *practicus* huius sectionis consistere potest in cura aedis acrae, omnium quae ac ceremonias exercendas pertinent, ut sunt: decor altaris, vestes ministrorum Dei, bonus ordo processionum, pulcher cantus, collectio donorum...

Cum in multis ccbus sectiones pro cantu (S. Caeciliae), pro paramentis, pro munditie et ornamento ecclesiae... jam existent, facillime ad intimam rerum liturgicarum cognitionem deduci possunt.

PIETAS FIDELIS

Tertius Lord Ffrench (Hibernus) in Collegio nostro Stonyhurst in C^m^. admissus fuerat. Octogenarius morti proximus, filio asseruit se nunquam omisisse recitationem officii B. V. Mariae ab illo die receptionis in C^m^. Per totam vitam vir catholicus optimus, plenus fide et pietate fuerat. (cfr. The Madonna, Melbourne, 1926, p. 192.)

LIBRI NOVI

Oeniponte (Innsbruck) In Austria edebantur:

R. Wickl S. I. **Büchlein vom Hl. Geist.** 107 pp
Agit de Sp. Sancto in Trinitate, Ecclesia, anima practice et et belie.

I. Leb, **P. H. Abel S. I.,** 71 pp.
Sodalis breve curriculum vitae praesidis et amici sui scrib t

M. Domanig, **Iungfräuliches Leben.** 87 pp.
Virginibus gaudium et vim inicere vult ad sequendum Agnum. Multo cum amore et bene conscriptus libellus.

TELEPHONIUM EDITORIS

P. O. K. Urbs quae maximo numero ccum. gaudet est Vienna in Austria, ni fallor, nam ad finem a. 1926 numerabantur cc. adultorum 326 (quarum minor pars pio femineo sexui destinata) cum 25.000 sodalibus, et 81 cc. puerorum et puellarum cum circiter 5000 sociis. Post Viennam forte proximum locum tenent Chicago quae 253, S. Louis quae 203, New York quae 153 cc. habere dicitur.

P. B G. Absolute, absque cognitione peculiarium difficultatum que fortasse adsunt, cum Reverentia Vestra dicerem, frequentiam 30-40% sodalium ad conventus non satisfacere idque eo minus quod conventus tantum bis per mensem fiunt; **saltem** 75-80% adesse deberent, plures ad communiones generales. Quod talis frequentia sacrificia postulat, non dubitatur; at ubinam **bonos** sodales inveniemus qui a multis sacrificiis liberi essent? — **P. T. E.** P. A. Lamprecht ad rem ita respondet: "Opinioni beatum Iacobum Sales primum martyrem ex congregatione fuisse, non possum assentire. Nam praeter b. Edm. Campion (+ 1581), Rodulfum Aquaviva et Petrum Berno (+ 1583), beatus Robertus Iohnson, sod. c^is^. collegii Germanici, mortem subiit iam a. 1582, b. Sales vero a. 1593„. — Sodales c^is^. Gorizia quoque naviter adlaborant operi signorum postalium et desiderant talium signorum commercium cum aliis habere. Eorum inscriptio: "Seminario Missioni Estere, via Lombroso 20, Gorizia (Italia)„

P. E. W. Sectio " pro Ecclesia et Pontifice ", studens regulis sentiendi cum Ecclesia, nec non verbis et litteris S. Pontificis easque divulgans, maxime laudanda. Epistolae pastorales fidelibus praeleguntur et declarantur; minime vero Encyclicae Papae. Quantum bonum fuisset, si ex. gr. Leonis XIII. Litterae de re sociali attente et studiose lectae fuissent et meditatae ab iis quibus incumbebat hoc studium!

Gratias agimus pro numeris A. o. remissis: PP. A. F., L; I. V., G; I. A., T; A. F; Oe; M. C., M; F. N; Oe; A. L, G; H. D., A; I. M., V.

Et pro obolis: P. S. P., M., L. 35.

Conventus directorum ccum. habebitur a 16.-19. augusti in convictu nostro " Canisianum ", Oeniponte (Innsbruck) in Austria.

Editor: *Albertus Boegle S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite 50-A.